LEONI XIII. P. M.

ANNVM . LX . SACERDOTII . GRATVLANTVR

MODERATOR . COETVS . VIRORVM

SACRIS . CAEREMONIIS . PROVEHENDIS

ET . SODALES . A . COMMENTARIIS

RATI . DVM . CAELO . SVPINAS

IPSE . LITANDO . TVLERIT . MANVS

HVMANIS . REBVS

OPTIME . FORE . CONSVLTVM

M. DCCC. XCVIII

—

Petrus Angelinius

E S. RITUUM CONGREGATIONE

I.

Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia

R.mus P. Commissarius Generalis Fratrum Minorum Observantium de Provincia Calabriae S. R. Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit, nimirum:

In Conventu Fratrum Minorum Franciscalium de observantia prope Petiliam Policastrum ac Provinciae Calabriae, abhinc tribus saeculis una colitur Spina Coronae D. N. I. C. Sanguine conspersa et quondam a R.mo Archiepiscopo S. Severinae, in cuius dioecesi situm est oppidum, iuridice recognita et approbata. Haec autem S. Reliquia cum exponitur Fidelium venerationi, super tabernaculum collocari solet, in quo SS.mum Sacramentum asservatur et ante ipsam transeuntes utrumque flectunt genu; et ipsi Sacerdotes ante eam expositam celebrantes omnia peragunt, quae ante SS.mum Sacramentum expositum fieri solent. Idem vero R.mus P. Commissarius Generalis sua canonica visitatione haec omnia nonnisi SS.mae Eucharistiae ratus convenire ex ecclesiastica institutione, iussit ab his abstineri et omnia peragi ad tramitem Decretorum Sa-

crae Rituum Congregationis. Quod aegre ferentibus quibusdam, ut efficacius, in casu, omnis abusus eliminetur, et debitus honor Sacrae Spinae D. N. I. C. tribuatur, praedictus Orator ab eadem Sacra Congregatione enixe postulavit:

I. Utrum praefati usus approbari, vel saltem tolerari possint?

II. Et quatenus negative, quis sit legitimus cultus eidem S. Spinae tribuendus?

Et ipsa Sacra Congregatio, referente subscripto Secretario, attentis expositis, utrique postulato rescribendum censuit: « Stetur Decretis, praesertim Decreto in *Tridentina* d. d. 12 Martii 1836, (1) aliisque respicientibus cultum exhibendum ac praescriptum pro Reliquiis vivificae Crucis aliorumque instrumentorum Passionis Dominicae ».

Atque ita rescripsit. Die 17 Septembris 1897.

L. M. Card. Parocchi.

D. Panici, *Secretarius.*

II.

URBIS ET ORBIS

Ad humillimas preces R.mi P. Aloisii Cacciari, Procuratoris Generalis et Postulatoris Con-

(1) *Decretum in* **Tridentina** *ad 1 declarat, Reliquiam SS. Crucis super Tabernaculo, asservante Eucharistiam, non esse exponendam. Alterum in* **Varsavien.** *ad 12 declarat, ante Reliquiam SS. Crucis expositam loco principe in altari unico genu esse flectendum. Haec autem ab aliis quoque confirmantur Decretis.*

gregationis Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto relatas, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, ex ipsius Sacrae Congregationis consulto, concedere dignatus est, ut, translato in diem VII. Iulii, vel, hac impedita, in primam diem subsequentem liberam, iuxta rubricas, festo assignato Ss. Cyrilli et Methodii PP. CC., alterum festum natalitium S. Antonii Mariae Zaccaria Confessoris, cum Officio de Comm. Conf. non Pont. et lectionibus I. Nocturni de Scriptura occurrente, et II. et III. Nocturni, Oratione ac Missa propriis, iam approbatis et concessis praedictae religiosae Congregationi, die V. Iulii ab universa Ecclesia, sub ritu duplici minori, post annum 1898, singulis annis recolatur. Insuper idem Sanctissimus Dominus noster supradictum Officium cum Missa de S. Antonio M. Zaccaria, sub praedicto ritu, in Calendario Universali et in novis editionibus Breviarii et Missalis Romani deinceps inscribi mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 11 Decembris 1897.

Camillus Card. Mazzella

L. ✠ S. S. R. C. Praefectus.

Diomedes Panici S. R. C. *Secretarius.*

III.

DUBIUM

In plurimis Galliae Ecclesiis atque Oratoriis usus invaluit postremis hisce temporibus sacram Hostiam, quae in Ostensorio exponenda est, recondendi intra duo crystalla apte cohaerentia, eamque in Tabernaculo reponendi absque ulla capsa, seu custodia. Hinc a Sacrorum Rituum Congregatione expostulatum fuit: *An eiusmodi praxis licita sit?*

Atque eadem Sacra Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis liturgicae, ac re mature perpensa, proposito Dubio respondendum censuit: Affirmative; dummodo sacra Hostia in dictis crystallis bene sit clausa, atque crystalla non tangat, iuxta alias Decreta.

Atque ita rescripsit die 14 Ianuarii 1898.

C. Card. Mazzella *Praef.*

L. ✠ S. D. Panici *Secr.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

SUPER SACRIS RELIQUIIS.

II.

Sacrum cuiusdam Sanctae Martyris brachium Ecclesia B. possidet: quod integrum non est quidem, sed a scapula desinit ad mediam partem, quae antibrachium audit: hoc autem alia Ecclesia possidet. Iam vero dubitatur et graviter, num alterutra pars brachii uti Reliquia insignis haberi possit. Plures enim id asserunt, sed plures negant, cum pars una non videatur posse venire sub denominatione totius brachii. In eadem insuper Ecclesia servatur alterius Sanctae Martyris tibia, quae ex duobus ossibus crus constituentibus maius est: ex quo altera quaestio. Caeremoniarum namque magister totis nervis conatur ostendere, eam notabilem esse haud vero insignem Reliquiam: dum alter ex Canonicis oppositum sustinet, quod pars maior ad se minorem trahat. Denique notabilis Reliquia ibidem custoditur cuiusdam Sancti Martyris, quam aliqui uti insignem iudicant; quia Sanctus, ad quem illa pertinet, igne combustus martyrium fecit. *Quaeritur:*

1.° *Quaenam sit communior et recepta sacra-*

rum Reliquiarum distinctio, sive qualitate, sive quantitate earumdem inspecta, et quomodo intelligenda?

2.° *Utrum praeter Reliquias insignes, quas ius liturgicum recenset, aliae sint insignes admittendae, et in casu affirmativo, quaenam illae sint?*

3.° *Quid de singulis in casu expositis iudicandum?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Bernardi Mock e Pont. Coll. Urbano de Propag. Fide, habita in Ecclesia Presbyterorum Missionis prope Curiam Innocentianam, die I Decemb. 1897; acta Epitome per R.mum Dom. Philippum M. Canon. Difava.

I. Quaenam sit communior et recepta sacrarum Reliquiarum distinctio, sive qualitate, sive quantitate earumdem inspecta, et quomodo intelligenda?

Distinctio Reliquiarum, de qua inquiritur, desumi potest ex ipsa earum natura, sive ex qualitate personae ad quam pertinent, sive tandem ex earum nobilitate. Ex his oritur differentia cultus illis adhibiti in Ecclesia, qui ultro usque ab exordio originem duxit. S. Ioannes Chrysostomus loquens de maximo amore quo Christiani sui aevi trahebantur in Sanctorum Reliquias, eum vocat felici quadam locutione *venationem*; eo quod quasi venatio a fidelibus fiebat in Confessorum Christi sacras exuvias. Beatus ille existimabatur, qui rem aliquam obtinuisset, quam aliquis Sanctus iam possedisset, beatior qui linteolum ostendere potuisset alicuius Sancti Martyris sanguine rubentem.

Et 1.° Distinctio, quae ex ipsa Reliquiarum natura ex-

surgit, ex eo repetenda est, quod illae plus minusve directe relationem habeant, vel habuerint, cum Sancto cuius sunt. Notandum est enim, quod, si primarius et strictior sensus verbi *Reliquia*, theologice seu liturgice sumpta, exuvias, ossa, cineres Sanctorum significabat, secundarius et latior, qui postea usurpatus fuit, ea omnia, quae ad ipsos Sanctos pertinebant, vel ad eorum corporum contactum sunt admota, indicavit. Nec deest ratio; quia videlicet fidelibus solemne erat res quascumque venerari, quae aptae ex se essent ad memoriam excitandam et cordis affectum in eosdem Sanctos. Unde, iuxta hoc generale criterium, communis eorum praxis, qui ex professo de Sacris Reliquiis sermonem habuerunt, et Sacrae Liturgiae auctorum, haec est, ut tres distinguant earum classes. In prima ponunt Reliquias *proprie* dictas, in altera Reliquias *minus proprie* dictas, in tertia vero Reliquias *improprie* dictas seu *sanctificatas*.

Reliquiae proprie dictae nomine venit pars quaecumque corporis Sancti, magna vel parva, quae mansit. Nonnulli hic quaestionem instituere satagunt, an corpus alicuius Sancti, quod integrum et incorruptum usque servatum sit, possit nec ne vocari Reliquia. Forte, si obvius huius vocis sensus respiciatur, nequiret integrum corpus vocari Reliquia; Reliquia enim est nonnihil, quod de corpore reliquum est. At si mens intendatur non in corpus exanime sed in Sanctum ipsum, nempe in totum hominem, tunc vides recte corpus integrum vocari posse Reliquiam, de eo nimirum homine, quod in terris mansit et reliquum est.

Reliquiae minus proprie dictae sunt obiecta, quae ad Sanctum pertinebant dum vitam ageret, et quae strictam cum illo relationem dicunt, ex eo quod, quemadmodum anima humana, ut plene suas exerceat functiones corpore velut instrumento utitur, ita corpus ut suas exerceat operationes, rebus utitur exterioribus; hinc hoc sub nomine

veniunt vestimenta ceteraque omnia ad vitae usum adhibita. Deus autem in Sanctorum suorum glorificationem iis quoque rebus quandam virtutem indidit, ad mira operanda prout et usque nunc videmus. Quot prodigia operatum est, atque usque modo operatur cingulum Venerabilis Gabrielis a Virgine Perdolente e Congregatione SS. Crucis et Passionis! His Reliquiis optime aequiparantur instrumenta martyrii quibus Sancti Dei tentati fuere, nec non linteola sanguine Martyrum perfusa, nisi dicere velis haec potius inter proprie dictas Reliquias adnumeranda ratione residui sanguinis.

Reliquiae improprie dictae seu *sanctificatae* constituuntur rebus quibuscumque, velis, pannis, floribus, foliis, etc. quae Sanctis non fuerunt propria, sed, ad sacrarum Reliquiarum contactum posita, quodammodo sanctificata sunt, virtutemque adepta ad illarum similitudinem, quemadmodum factis comprobatum est.

Haec Reliquiarum distinctio iuxta ipsarum naturam.

2.° Iuxta personae qualitatem, dixtinguuntur eadem ratione, qua cultus personis iisdem tribuitur, diversimode namque veneramur Reliquias Christi Domini, B. Mariae et Sanctorum.

3.° Tandem ex nobilitate Reliquiarum alia exurgit distinctio, qua vocabulo *insignium* distinguimus nobiliores, seu ratione personae, seu quantitatis, seu peculiaris praerogativae. Ratione personae, insignes vocantur Reliquiae S. Crucis, aliaeque SS.mae Passionis D. N. I. C. Ratione specialis praerogativae insignis est Reliquia illius corporis partis in qua passus est Martyr, aut quae miraculose servatur, prout ex. gr. esset cor, lingua, etc. At cum de prioribus casus non inquirat, et de aliis sermo sit habendus in secundo quaesito, restat nunc ut aliquantulum immoremur super distinctione ratione *quantitatis*.

S. Rituum Congregatio die 16 Ianuarii 1827 proscri-

bens abusum celebrandi in tota regione officium Sancti de quo haberetur Reliquia in aliqua loci Ecclesia, praecepit ut *declaretur quae dicatur insignis*. Hinc anno insequenti efformatum fuit Decretum in quo, inter alia, confirmatur, quod in praecedenti statutum fuerat, circa recitationem officii coercitam intra limites Ecclesiae, in qua Reliquiae custodiuntur; et insimul declaratur, quae ex Reliquiis censeri possit et debeat insignis, approbante Summo Pontifice Urbano VIII, qui et in novis Breviariis imprimendis huiusmodi Decreta apponi iussit. *Insignes Reliquiae*, ait praefatum Decretum d. d. 8 Aprilis 1628, *sunt caput, brachium, crus, aut illa pars Corporis in qua passus est Martyr, modo sit integra et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata*. Quod si Reliquiae insignes sunt caput, brachium, etc. utique et corpus integrum, quod praefatas partes includit, imo et magna pars eiusdem, insignem constituet Reliquiam. At contendi posset quod nomine magnae corporis partis venire debeat illa tantummodo, quae aliquam ex recensitis notabilioribus partibus contineat. Verum ex Decreto S. R. Congregationis diei 3 Iunii 1617 magna corporis pars indistincte inter insignes Reliquias collocatur : . . . . *insignis Reliquia . . . vel sit corpus integrum, aut magna pars eiusdem, aut caput*, ubi notandum est quod, dum per particulam disiunctivam *aut*, recenset caput, quod est ex praecipuis corporis partibus, aperte denotat, nomine *magnae corporis partis*, caput se minime necessario comprehendere, ac consequenter nec alias similes singulares partes, sed plures partes, quaecumque eae sint, quae corpus integrant. Et mirum videri non debet, quod posterius Decretum similibus verbis non sit exaratum; quia, ut ait Sanchez *(De praec. Decal. l. 2. c. 43, n. 10)*, Decreta posteriora, quando prioribus expresse non adversantur, sunt per priora corrigenda, determinanda et supplenda ; unde praesens Decretum iuxta illud intelligi, de-

terminari, suppleri debet, ut a ratione Reliquiarum insignium minime excludatur magna pars corporis, etiamsi in ea brachium, aut crus, aut caput non reperiatur.

Cum dicitur *illa pars corporis, in qua passus est Martyr*, innuitur non esse necessarium, ad hoc, ut Reliquia habeatur ut insignis, quod pars, in qua passus est Martyr, sit caput, brachium aut crus; sed cum nulla pars corporis nominetur, dicendum utique venit, quod sufficit quaecumque corporis pars, dummodo una simul concurrant conditiones, quae ab eodem Decreto exiguntur, videlicet : quod *in ea passus sit Martyr ;* quod *sit integra ;* quod *non sit parva.* Hinc observandum est, peculiare privilegium habere Sanctos Martyres prae ceteris Sanctis, et merito ; namque privilegiari decuit eam partem, per quam tanta victoria fuit reportata ; quod privilegium adhuc augetur ex consideratione, non esse necessarium quod pars huiusmodi tantae sit quantitatis, quantae sunt aliae partes a Decreto allegatae, ut insignes censeantur, optime supplente defectum quantitatis in illis circumstantia Martyrii.

Hinc in triplici genere, iuxta Cavalerium (*T. I. c. IV. Decr. V, n. XI*) libet hic partiri corporis partes, videlicet in *insignes, notabiles et minutas* seu exiguas. Insignes, videlicet quas memorat Decretum ; notabiles, quae tantae quantitatis quidem ac illae non sunt, sed nec modicae, ut manus, pes, tibia, maxilla etc ; minutae seu exiguae, quae sunt parvae quantitatis, ut dens, digitus, auricula, etc., vel quae sunt partes aliquae Reliquiarum insignium, ut pars aliqua cranii. Minutae ac exiguae, insignes nunquam, ut per se patet, appellari poterunt; et quia passim reperiuntur, ad effectum officii in Ecclesia instituendi, ne ob eas omittenda veniant alia officia, praefato privilegio expoliant ea verba Decreti : *et non parva.* Sed et subiungitur : *modo sit integra.* Haec sane verba,

ut vel leviter consideranti Decreti sensum manifeste patebit, partem, in qua passus est Martyr, dumtaxat appellant, ideoque in ceteris memoratis insignibus Reliquiis, ex vi huius Decreti, integritas necessaria non est. Haec tamen integritas, quamvis physica non requiratur, requiri moralis dicenda est, ita ut si quid parvum tantum deficiat, minime obsit. Unde habes, quod si Reliquia insignis, aut pars, in qua passus est Martyr, casu aliquo frangatur et in plures partes separetur, etsi omnia huiusmodi fragmenta, seu frusta haberentur, non tamen amplius diceretur possideri insignis Reliquia, nec sane esset adhuc caput, brachium, etc. Attamen, si ea frusta ita per artificialem unionem apte coniungantur, et simul agglutinentur, ut appareat integrum caput, aut brachium, docet Quarti (*pars I, tit. 1, dub. 4*), Lohner (*instr. I, part. 2, n. 1*) et Meratus (*Sect. I, cap. 5, tit. 2, n. 4*) tunc moraliter haberetur Reliquia integra, nam ex unione partium resultat integritas compositi. Nec obstat, quod unio sit artificialis, dummodo partes sint naturales, quia idem sequitur effectus in ordine ad finem intentum, et saepe ars conducit ad agglutinandas compartes ipsas corporis vivi.

Sed antequam ab huius primae quaestionis solutione, ad alterius transeamus, operis pretium aestimamus aliquid addere de ratione interpretandi ea verba: *pars in qua passus est Martyr*, in specialibus rerum adiunctis; quod cl. Cavalerium sectantes (*loc. cit, n. 25 et seq.*) exequemur. Ut igitur haec pars insignitatis privilegium reportet, opus est, ut in ea *speciali modo* prae ceteris partibus passus sit Martyr, quandoquidem speciale privilegium, quo ipsa decoratur, specialem cultum in ea requirit, unde eorum Martyrum, quorum nulla corporis pars peculiare sensit tormentum, nulla itidem eiusdem pars inter insignes computari potest.

Unde nulla habenda est ratio tormenti illius, quod

pars aliqua ex alterius tortura per consensum persensit, quodque in toto corpore universale extitit, nisi hoc speciale itidem foret, et ex se mortis illativum. Huius conditionis sunt: 1. Martyres qui in carcere, exilio aut alibi aerumnis confecti vel inedia consumpti interiere. 2. Qui *extorres* vocantur, qui nempe timore perculsi, ne fidem proderent, vel dira persecutione tyranni correpti, sua suosque relinquentes vagi seu latitantes, in summa egestate, periculis obnoxii reliquum vitae tempus traduxere. 3. Infantes nondum nati, una cum Matre interfecti, nisi et ipsi vulnus aliqua in parte acceperint. 4. Mortui in levamen peste laborantium veluti Martyres habiti, saltem si a Tyranno in odium fidei ad id addicti fuerint. Dubium vero manet an insignes habendae sint partes illae corporis Ss. Martyrum, quae lethalia vulnera cum receperint, nihil tamen inde a tormentis per divinum miraculum laesae fuerunt, nihilque doloris pertulere. Cum Cavalerio respondemus, sufficere « quod in iis partibus Martyres passi sint per se et ex natura sua, etsi per accidens et divina protegente virtute deinde tormenta ipsa non senserint. » Ita pariter dicendum de iis, qui miraculose a Deo sanati fuerint. Gravior incidit dubitatio de partibus, quae laesae quidem fuerunt, sed non per vulnus lethale; huic respondet D. Thomas his verbis (*in 4 sent., dist. 49, qu. 5, art. 1, q. 2*): « Si vulnera non mortalia susceperit et adhuc carcerem sustinens moriatur, adhuc aureolam (Martyrii) meretur; . . . . Si vero non continuetur usque ad mortem, non propter hoc aliquis dicitur Martyr. » Ergo si Sanctus sic passus, Martyr dici non debet, nec pars laesa quae servatur integra haberi debet ut privilegiata.

Quid si Martyr per totum corpus tortus fuerit? An quaelibet pars insignis est habenda? Distinguimus: aut plures partes singulatim tormenta sunt expertae, uti v. gr. tibia, pes, manus, et tunc non est ambigendum, una-

quaeque insignis habebitur ; aut totum corpus, uti est integrum, tormenta passum est, v. gr. quia in ferventi oleo immissum fuit, vel in gelidum stagnum, etc., et tunc nobis non videtur quod in partes divisum unaquaeque habeatur insignis ; non amplius enim verificatur esse *partem in qua passus est Martyr*, sed potius diceretur pars partis laesae, et opponitur sensui S. Congregationis, quae vult, ut pars laesa *sit integra*. Unde non subscribimus cl. Cavalerio, qui B. Laurentii notabilem quamcumque partem insignitatis nota distinguit *(loc. cit. n. 42)*.

Hoc quoque meminisse proderit: S. Congregatio notam insignitatis ad solas Reliquias nobiliores et principaliores coarctans, intendit inconveniens illud avertere, quod nimium multiplicentur officia ratione Reliquiae ; unde et in casu nostro, cum innumerabiles sint Martyres, igne combusti, flagellis caesi, equuleo torti, etc. valde multiplicarentur officia, eo quod facillime pars quaedam tantum notabilis haberi potest.

Notetur tandem hanc praerogativam non habere nisi Reliquias proprie dictas ; unde nunquam erunt Reliquiae insignes, vestes, instrumenta martyrii, sarcophagus, etc.

II. Utrum praeter Reliquias insignes, quas ius liturgicum recenset, aliae sint insignes admittendae et, in casu affirmativo, quaenam illae sint ?

Iam vidimus Reliquias insignes a iure recensitas esse: Corpus integrum, Caput, Brachium, Crus et partem notabilem in qua passus est Martyr. Animadvertendum quod brachium non debet necessario esse integrum, sed sufficere illius medietatem. Ratio est, quia brachium est, inter corporis membra, e nobilioribus ac magis necessariis, unde etsi una pars tantum deficiat, gravissimum sit incommodum, et constat etiam ex recentiori Decreto S. R. Congregationis, licet adhuc inedito. Non ita dicendum de crure; et sane ipsa S. Rituum Congregatio hoc definivit, die 3 Iunii

1662. Ad dubium « An Tibia sit Reliquia insignis ? » respondit : Negative.: iuxta Rubricas in Missali et Breviario Romano impressas ».

Tametsi S. Congregatio limitet numerum Reliquiarum insignium ad has recensitas, non dubitamus quin et aliae possint uti tales haberi. Sed ratio datur cur non a S. Tribunali recenseantur ; eo quod videlicet non pertinent ad Reliquias communiter conservatas, quia nempe secluso speciali divinae providentiae concursu , naturaliter corrumpuntur. Et hoc clare patet; Reliquiae enim, quae in Decreto nominantur, sunt ex ossibus, quae ut plurimum vel integra, vel fere perseverant.

Huiusmodi autem sunt v. gr. cor, lingua, cerebrum et adhuc sanguis, si fluidus perseveret aut interdum fiat. Omnes norunt asservari cor S. Vincentii a Paulo, S. Caroli, S. Teresiae, S. Clarae a Montefalco; linguam S. Ioannis Nepomuceni et S. Antonii Patavini; sanguinem S. Ianuarii: quis negabit eiusmodi esse insignes Reliquias ? His adderem cum Cavalerio (*T. 1, c. IV, Decr. VI.*) adhuc illas corporis partes, quas Deus ipse peculiari charactere signavit, in quibusque resplendet peculiari modo passio Iesu Christi, et Sancti ipsi a Christo quodammodo Martyres effecti sunt. Eiusmodi sunt manus vel pedes Sanctorum, qui S. Stygmata recepere, v. gr. S. Francisci Assisiensis, S. Catharinae Senensis, S. Veronicae de Iulianis. Eiusmodi frons B. Ritae a Cassia, in qua spina e Crucifixi corona ita transfixa est, ut insanabile vulnus usque ad mortem pertulerit : nunc, hypothesi facta quod aliqua ex his partibus sit superstes, num negare quis vellet eam uti insignem esse habendam ?

III. Quid de singulis in casu expositis iudicandum ?

Dubitatur num alterutra pars brachii cuiusdam Sanctae Martyris, quam Ecclesia B. et alia possident, uti Reliquia insignis haberi possit. Reponendum, ex iis quae superius diximus, affirmative.

Altera fit quaestio de tibia alterius Sanctae Martyris; de hac dicendum non esse insignem, ex Decreto S. Rituum Congregationis, sed tantum notabilem; unde, si accedat adiunctum martyrii in ea parte passi. iure fit insignis, ex altero super allato Decreto. Hinc nihili valet ratio, ab altero ex Canonicis opposita, quod pars maior trahat ad se minorem.

Denique notabilis Reliquia Sancti Martyris igne combusti, retinenda non est uti insignis; quia membrum illud relationem specialem non habuit cum supplicio, quod passus est Martyr.

DE IURIBUS EPISCOPI ADMINISTRATORIS

DISCUSSIO

Cum Decretum quoddam S. Congregationis Concilii anno 1886 datum fuisset Episcopo Conversanensi, quod eumdem deputabat in administratorem Apostolicum archidioecesis Barensis, declaratio postea expetita fuit super facultatibus eidem Conversanensi Antistiti datis tamquam alterius dioecesis Administratori. Cum autem ex praefatis Decreto et Responso quaestio exorta sit super earumdem facultatum extensione ad alios Episcopos in Administratores electos, operae pretium iudicavimus praesentem discussionem aggredi ut negotium clarescat.

En Decretum seu Rescriptum, quod Antistitem Conversanensem in Barensis archidioecesis Administratorem nominat:

« Ill.me ac R.me D.ne

SS.mus D. N. ob causas sibi cognitas dignatus est deputare Amplitudinem Tuam in Administratorem Apo-

stolicum Ecclesiae archiepiscopalis Barensis, modo vacantis per obitum Ill.mi ac R.mi D. Francisci Pedicini Archiepiscopi felicis recordationis, cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, tam in spiritualibus, quam in temporalibus in similibus concedi solitis *(Die 6 Iun. 1886)*. »

Electus Administrator, nominatione accepta, a Sancta Sede suppliciter petiit dictarum facultatum declarationem sequentibus dubiis:

1. Utrum sibi competat plenitudo iurisdictionis ordinariae et delegatae, Archiepiscopi pro tempore propria, tam in spiritualibus quam in temporalibus?

2. Utrum hanc valeat iurisdictionem ostendere cappae et throni usu: et utrum possit ad archidioecesim Barensem extendere litteras pastorales, quas ipse in sua dioecesi Conversanensi promulgaturus erit?

3. Utrum, sua Administratoris Apostolici gestione perdurante, Sedes Archiepiscopalis Barensis dicenda sit vacans, cum obligatione anni luctus servandi?

Et S. Concilii C. respondit:

« R.me D.ne uti Frater

Relatis SS.mo D.no Nostro, per infrascriptum Secretarium S. C. Concilii, litteris ab Amplitudine Tua, uti Administratore Apostolico Baren. exscriptis die 23 labentis mensis, Sanctitas Sua iussit rescribi: « Administratorem Apostolicum, in casu, iuribus omnibus frui posse, quae Archiepiscopo Barensi pro tempore competunt.

Quod dum nos praesentes Amplitudini Tuae notificamus, Eidem fausta omnia precamur a Domino.

Romae 28 Iun. 1886 ».

Nunc quaeritur, utrum, ex praefatis S. Congregationis Concilii Rescripto et Responso inter se collatis, inferri possit, quemcumque alium Episcopum Administratorem alicuius dioecesis iisdem facultatibus gaudere, quae Episcopo Conversanensi collatae fuerunt. Cumque satis abunde constet,

Decreta plura S. R. Congregationis stare pro negativa responsione, Dubium propositum in aliud sequens commutari posset, videlicet: Utrum per S. Congregationem Concilii, vi duplicis allati documenti, Decreta S. R. Congregationis veluti abrogata censenda sint. Cui quaesito respondere posse credimus et respondemus: Negative, ex sequentibus momentis.

1. Rescriptum nominationis concedit *omnes facultates necessarias et opportunas, tam in spiritualibus quam in temporalibus, in similibus concedi solitas.* At quaenam sunt hae facultates? Usus faldistorii pro throno: delatio mantelletti super rochetum, vel ad summum cappae super eodem mantelletto, si consuetudo ferat: usus nudi genuflexorii cum pulvinaribus: pontificalia Missarum agere cum Presbytero assistente praeter duos tantum ministros superiores Diaconum et Subdiaconum: baculum deferre in iis tantum functionibus, quae illum exigunt iuxta Caeremoniale Episcoporum aut Pontificale Romanum. Verbo, Administratori Episcopo eadem propemodum competunt, quae competunt Episcopo extraneo, cui assimilatur Administrator. Hinc non ei competit rochetum et mozzeta super veste talari: non genuflexorium cum panno serico: non associatio Capituli nec benedicere adstantibus: non septimum candelabrum: non assistentia Canonicorum cum paramentis ordinis: non circuli, non alii duo Diaconi in Missa: non ipsa genuflexio ex parte inservientium, quicumque hi sint: non benedicere deambulando populum. Praetermittimus quaestionem de throno, quae, iure inspecto, adhuc sub iudice est, cum plura Decreta denegent, recens illum permittat, assentiente Ordinario. Omnia haec, sive quae licent, sive quae non licent Episcopo Administratori satis superque ex Decretis S. Congregationis Rituum nota sunt.

Per illas ergo *facultates necessarias et opportunas, in*

similibus concedi solitas, intellexit ne S. C. Concilii primas, quas recensuimus, concedere, secundas denegare? Ita quidem reponendum videtur; sed videtur quoque huic responsioni esse opposita authentica superallata declaratio, vi cuius Administratori Apostolico omnia competunt iura, quibus fruitur Episcopus Dioecesanus. Hic autem fruitur et primis facultatibus et alteris, de quibus superius. Quid igitur?

Perpendamus documenta, abstractione facta a iuribus temporalia spectantibus, quae ad nos non attinent. *Facultates necessariae et opportunae in similibus concedi solitae* Admnistratori Episcopo, sunt citra controversiam illae, quas per se possidet Episcopus dioecesanus, exceptis nihilominus excipiendis, quippe quas ipsum ius excipit. Hoc omnino pro certo habendum est, quia neque in Litteris authenticis, quae ad Episcopos dantur pro eorum nominatione in Administratores Apostolicos, neque alibi, dictarum singularum facultatum, quae sunt *necessariae et opportunae*, habetur recensio iuridica. Restat ergo, nisi verba *concedi solitae* vel falsa vel inutilia velimus dicere, quod nefas esset, ut nonnisi illae sint, quas possidet Episcopus dioecesanus, sed cum limitibus in iure statutis. Porro ius istud restrictivum habetur in Decretis S. R. Congregationis, et peculialiter in una *Sarsinaten.* d. d. 22 Aug. 1722: atque in una *Liburnen.* 23 Sept. 1848; quae limites praescribunt iurium Administratoris Apostolici, et superius indicavimus. Ergo per *facultates concedi solitas*, Administratori Apostolico Barensi concessas, nil aliud ulterius indulgetur, praeter facultates concessas e iure liturgico aliis Administratoribus Apostolicis in simili casu.

Consequenter, *ci Litterarum nominationis*, praefatus Antistes, uti alii: 1. Non gaudebat, *in functionibus pontificalibus, omnibus illis praeminentiis et praerogativis, quibus fruuntur et gaudent omnes alii Episcopi in casu*

etc. 2. In specie, cantans *Missas et Vesperas in pontificalibus* non poterat *sedere super cathedra Episcopali elevata quotuor gradibus parata cum baldachino.* 3. Non poterat *concedere Indulgentiam quadraginta dierum.* 4. *Assistens Missae ab alio cantatae*, ius non habebat ut *Canonici facerent circulos*, et sedere poterat tantum *in primo stallo chori.* 5. Faciendum non erat *Anniversarium suae consecrationis cum Missa cantata per Capitulum et Clerum.* 6. *Eius nomen* non poterat *in Canone memorari per Sacerdotes celebrantes.* 7. Cantante eo *Missam in Pontificalibus, poni* non poterat *super altare septimum candelabrum cum candela accensa.* 8. Item non poterant *Canonici sacris paramentis indui*, neque officio fungi Diaconorum, sed tantum Diaconi et Subdiaconi Missae, ac Presbyteri assistentis. 9. *Dirigere* nequibat *Epistolam pastoralem, sive latino sive vulgari sermone conceptam commisso sibi in administrationem gregi.* 10. Ipsi non licebat *uti Cappa;* neque *benedictiones Candelarum, Cinerum, Palmarum ac Fontis Baptismalis* peragere, nisi et Celebrans esset: item neque absolutionem, uti ex recentiori iure constat antiquum declarante, ad tumulum post Missam, nisi sub praefata conditione. Haec omnia praefatus Antistes, uti Administrator Apostolicus, nequibat, quod neque alii Apostolici Administratores facere poterant; quia in facultatibus necessariis et opportunis, *in similibus concedi solitis*, non reperiuntur.

2. Verum, petitione facta super extensione praedictarum facultatum, responsum est: *Administratorem Apostolicum, in casu, iuribus omnibus frui posse, quae Archiepiscopo Barensi pro tempore competunt.* Quid ex eo sequitur? Hoc tantum, Episcopum Conversanensem, vi praefati Responsi omnia posse, quae poterat Barensis Antistes in sua archidioecesi.

At idem ne possunt alii, quicumque ii sint, Administratores Apostolici? Responsionem quam dare cogimur, est

prorsus negativa. Et sane: Iura Episcopi dioecesani in Administratore Apostolico esse limitata iam demonstratum est ex iure liturgico, quod illa restringit. Atqui Episcopo Conversanensi, uti Administratori Apostolico, conceduntur omnia iura, quae Episcopo dioecesano competunt. Ergo, ex duobus unum: aut per praefatum responsum S. C. Concilii voluit abrogare Decreta S. R. Congregationis ad rem facientia: aut idem responsum soli Episcopo Conversanensi, uti Administratori Apostolico, favere dicendum est. Sed illud admitti nequit; ergo hoc veritati conforme est. Illud admitti nequit; quia non est in more Congregationum Romanarum, ut quae altera decernit, altera destruat, quin saltem aliquid de hac sua intentione explicite dicat. Ceterum per particularia responsa S. C. Concilii nunquam intendit ius generale constituere: ut propterea ad generalia quaesita respondere non soleat, sed exigat peculiarem casum cum omnibus rerum, locorum, personarumque adiunctis. Ergo per hoc praefatum responsum nullo pacto laeditur ius generale, quod S. R. C. pluribus Decretis suis decernit. Insuper Commissio Liturgico-Pontificia nullum ab E.mis aut a Summo Pontifice mandatum accepit Decreta expungendi super limitatione iurium Administratoribus Apostolicis competentium. Ergo dictum ius restrictivum, saltem in genere, viget adhuc.

Denique ab Auctoritate competenti accepimus, ius praefatum restrictivum adhuc in suo robore permanere et esse omnino servandum (1). Hoc veritati conforme est; nam imprimis Summus Pontifex, cui Episcopi Con-

(1) Certa scientia scimus, et authenticum fertur documentum, pro Episcopis, qui propriae dioecesi renuntiant, in eaque Administratores Apostolici nominantur, ius restrictivum satis relaxari: sed hoc veluti speciem respicit, et ad genus extendi nec potest nec debet.

versanensis labores et merita latere non poterant, abundare cum eo censuit, et omnia ei voluit iura tribuere, tamquam Administratori Barensi, quae sunt dioecesani propria. Non ergo quod ipsi largiri, ex singulari benevolentia voluit Sanctitas Sua, ad alios Administratores extendi potest.

Praeterea, consulto Responsum habet: *Administratorem Apostolicum, in casu, omnibus iuribus frui posse etc.*; ergo nulli potestas datur extendendi hanc facultatem ad alios casus, nisi Eidem, qui eamdem elargiri dignatus est, nempe Summo Pontifici.

Denique Antistes Conversanensis non quaesivit quaenam essent facultates sibi concessae, *in similibus concedi solitae*, sed tantum utrum aliqua sibi iura competerent; Summus autem Pontifex liberalissime cum eo agere voluit omnia iura tribuens, dioecesani propria: per quod plus indulsit quam Orator petierat. Nullo ergo iure Episcopo Conversanensi concessa potestas in particulari, ad alios Administratores extendi potest.

Ergo ex duobus relatis documentis, quae uni faverunt Conversanensi Antistiti, uti Administratori Apostolico Barensi, nil argui potest in favorem aliorum Administratorum Apostolicorum, quorum iura impraesenti coarctantur ex Decretis S. C. Rituum, quae in suo robore permanent.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Hispania.* **Instantia circa doctrinam de computatione dierum impeditorum in applicatione et interpretatione Decreti 13 Febr. 1892, ut videre licet in** *Ephemer. anni praeteriti 1897, pag. 348.*

Libenter admittimus et capimus quod Missa exequialis

intra *biduum*, seu in aliquo ex duobus sequentibus diebus post sepulturam celebrari debeat et possit : sed minime intelligimus qua de causa dies impediti computari debeant dum explicatur et interpretatur Decretum 13 Febr. 1892. Omnibus notum est, quod ex Decretis S. R. C. 26 Ian. 1793 et 17 Iun. 1843, Missa exequialis in die obitus seu depositionis impedita ad primam diem liberam amandabatur, nulla habita ratione dierum impeditorum, sive pauci sive multi essent; ergo a pari, dum explicatur et interpretatur Decretum 13 Febr. 1892, dies 1 et 3 Ianuar. computari non debent, ac Missa exequialis in die 4 bene celebrabitur. Iam Ephemerides docuerunt anno 1896 pag. 174 quod uti antea, sic hodie post promulgationem Decreti 13 Febr. 1892 transferri possit Missa exequialis; sed quomodo fieri hoc possit, si dies impediti computantur, minime capimus. Praeterea si dies impediti computantur, tunc in Ecclesiis parochialibus unicam Missam habentibus, multoties Missa exequialis celebrari non potest, ut legenti patebit, ex sola onerum parochialium consideratione. Ergo S. R. C. per Decretum 13 Febr. aliquid concessit, vel nihil : hoc dicere non possumus, ergo primum. Sed quid concessit? Meo quidem iudicio, quod si Missa exequialis *prima die libera* post sepulturam quacumque de causa celebrata non fuerit, adhuc celebrari liceat *altera die*, quod certe ante Decretum 13 Febr. 1892 nemini licebat.

Resp. Dies impediti, in biduo ab obitu seu depositione computari debent; quia lex Decreti id declarat dicens, Missam exequialem in dicto biduo vel triduo cantari licite posse, *quoties praesente cadavere permittitur*. Ergo manifeste supponit lex praefatum biduum aut in toto aut in parte esse posse impeditum : secus frustra diceret, *quoties praesente cadavere permittitur*. Nam haec verba aperte significant, Missam exequialem etiam praesente cadavere non semper licere. Ergo dies, ex quibus biduum constituitur,

esse possunt vel liberi vel impediti: adeo ut tam illi quam isti computari in eo necessario debeant.

Confirmatur veritas ex verbis Decreti **Aucto**, in quo edicitur, Missas privatas de requie, celebrari non ultra biduum posse *sub clausulis et conditionibus, quibus, iuxta Rubricas et Decreta, Missa solemnis de requie iisdem in casibus decantatur*; ergo dantur casus, in quibus dicta Missa exequialis intra triduum non permittitur, quia neque in die obitus eadem Missa semper permissa est. Consequenter, ut supra, biduum vel triduum necessario comprehendit tam liberos quam impeditos dies, in quibus ultimis Missa exequialis est vetita.

Quod attinet probationem respondemus, cl. consulentem in iis quae allegat falsa laborare hypothesi, hoc est, Missam exequialem transferri impraesenti amplius non posse, uti antea, in primam diem liberam, si in biduo sit impedita. Hoc autem a veritate alienum est, quia Decreta antiqua, quae id permittebant, nullo pacto revocata fuerunt: aut si e nova, quae paratur, Collectione Decretorum, expuncta sunt, per recentiora iterum conceditur. Nihilominus cl. consulens animadvertat velim, ex eo ab re inferri dies impeditos non esse in biduo computandos. Hoc enim posito, sequeretur Missam exequialem in biduo impeditam, non solum cantari posse prima die libera, sed etiam hanc diem esse privilegiatam, nec plus nec minus, sicut ipsum biduum: quod est simpliciter falsum. Sane: Missa exequialis intra biduum potest semper decantari quando ipsa die obitus cantari potest, nempe in omnibus diebus, etiam I classis, si solemniora excipias universalis Ecclesiae et Ecclesiarum particularium. Ex. gr. si quis sepeliatur in Sabbato Sancto, etsi obierit feria VI maioris Hebdomadae, Missa exequialis cantari potest in feria II post Dominicam Paschatis, cum tamen sit dup. I classis, quod in casu non computatur solemnius. Ratio est, quia

si quis dicta feria II obiret, Missa exequialis permissa foret: ergo et permissa est in biduo a depositione, quod omnibus singulisque fruitur privilegiis, quibus dies obitus. At idem num dici potest, si ab obitu vel depositione transactum sit biduum? Minime gentium. Quia dies post transactum biduum, in qua Missa exequialis cantari potest, minus privilegiata est; et ex novissimis Decretis certo constat, illam cantari tantum posse in die libera a festo duplici I vel II classis. Est proinde huiusmodi Missa, exequialis translata; sed omnibus iuribus non gaudet, quibus certe fruitur Missa in ipso die obitus aut in biduo post obitum, vel humationem. Ex eo ergo quod dicta Missa praefato sensu translata appellari possit, nullo pacto sequitur, dies bidui impeditos non esse computandos. Negotio sic explicato, censemus adm. Rev. consulentem velle acquiescere: quippe qui apprime intelliget et rationem veritatis, quam defendimus, et faciliorem, quam antea, modum sublevandi defunctum.

II. *Ex Hollandia.* **De omissione commemorationis duplicis simplificati in II Vesp. diei octavae Corporis Christi.**

Cum in die octava SS. Corporis Christi occurrit festum duplex, in simplicem redigendum, quomodo agendum est in 2^is^ Vesperis? Debetne tertia Commemoratio huius duplicis simplificati omitti, quum concurrat festum duplex 1^ae^ classis SS. Cordis Iesu, de quo tamen nihil fit?

Resp. Materialiter verum est, de festo Sacratissimi Cordis Iesu in primis suis Vesperis nihil fieri: adeo ut nonnulli velint, primas Vesperas praefati festi esse in nihilum plane redactas. Hinc, iuxta eos, etsi feria V., nempe die octava SS.mi Corporis Christi simplificanda, agendum foret de festo dup. 1. clas. S. Ioannis Baptistae, de Sacratissimo Corde die sequenti occurrente neque com. facienda est in primis eius Vesperis, sed com. diei octavae simplificatae, post Vesperas de S. Ioanne. Verum est qui-

dem nos aliter sensisse; seu quia primae Vesperae Sacratissimi Cordis nusquam in nihilum redactae dicuntur, licet ob diem octavam Corporis Christi, de qua fieri Vesperas lex iubet, Sacratissimum Cor habere non debeat commemorationem ex identitate obiecti: seu quia non possumus intelligere rationem, ob quam omitti debeat com. duplicis 1 cl. concurrentis, ut fiat de die octava simplificata. Quidquid nihilominus sit, exploratum est, die octava Corporis Christi concurrente cum sequenti Sacratissimo Corde Iesu, nihil de hoc materialiter esse agendum, neque commemorationem.

Verum inquirenda causa de hac dispositione. Haec autem in eo consistit, quod Corpus Christi est *totum*, Cor autem eiusdem est *pars*: illud est *primarium*, hoc *secundarium*: illud est *realitas*, hoc vero *symbolum*: in illo notus omnibus, clero et populo, hymnus *Pange lingua*, qui semper cantatus est, in hoc altero hymnus cantandus esset soli clero notus, in quo vix aut nihil posset populus habere partem. Haec ratio multiplex praefatae dispositionis, uti ex certa scientia nobis constat: ut statutum sit, totum de octava incoepta continuari et absolvi officium, quin aliquid de sequenti fieret.

Hinc autem sequitur solemnitatem festi Sacratissimi Cordis transire in diem octavam Corporis Christi, hoc videlicet sensu, quod dum fiunt integrae II Vesperae de die octava Corporis Christi, fieri censentur I Vesperae de festo Sacratissimi Cordis. Idem enim est utriusque festi obiectum, et Vesperae de *toto* fiunt potiusquam de *parte*, quippe quae in illo continetur, licet hoc festum potioris quam illud sit ritus. Cum ergo de illo fiunt Vesperae, etiam festum istud recolitur, unde et ipsamet huius com. omittitur. Quod nisi esset, neque ratio suppeteret diem octavam praeferendi festo duplici I classis; quinimo sequeretur,

festum Sacratissimi Cordis nullo pacto computari, quod ex superallatis momentis a veritate est absonum.

Ergo *materialiter* quidem, ut diximus, Vesperae fiunt de die octava, sed *formaliter* de Sacratissimo Corde : cuius proinde, sicut solemnitas festi, ita et privilegium illam sequens, transire fas est in eamdem octavam diem. Consequenter, quemadmodum duplex I classis simplificati commemorationem excludit, ita et a die octava in casu excluditur. Ergo tertia com. duplicis simplificati in II Vesperis diei octavae Corporis Christi omittenda est, ratione duplicis I cl. festi Sacratissimi Cordis Iesu.

III. *Ex eod. loco.* **De anniversario Dedicationis non agendo a clero extraneo.**

Clerus Ecclesiae parochialis, intra cuius parochiae fines alia ecclesia consecrata existit, in qua aliquorum Sacramentorum administratio aliaque munia ecclesiastica peraguntur, quomodo anniversarium huius Ecclesiae succursalis celebrare debet ?

Resp. Quaesitum videtur supponere, a clero in casu peragendum esse officium Dedicationis Ecclesiae succursalis, cum tamen ille ad parochialem pertineat ; et postulat quomodo eiusmodi anniversarium sit celebrandum. Verum ut dictum anniversarium celebrari possit ac debeat a clero, oportet ut hic sit Ecclesiae adscriptus ; neque ex eo quod Ecclesia aliqua sit succursalis, sequitur ei esse adscriptum clerum, quia Ecclesiae principali, in casu parochiali, sit adscriptus. Neque etiam adscriptio statim inferri potest ex eo quod Sacramenta et quaedam alia munia ecclesiastica ab aliquibus Sacerdotibus in Ecclesia administrantur. Itaque cum clerus in casu sit de Ecclesia parochiali, huius certe debet anniversarium Dedicationis recolere ; quod pertinet autem ad idem festum succursalis quamvis consecratae, inquirimus utrum haec proprium Rectorem habeat, vel etiam alios Sacerdotes ab Ordinario destinatos, et qui-

dem non obiter sed permanenter, atque ita ut iure dici possint de gremio huiusce Ecclesiae, ad praefata obeunda munia. Quae sunt : Sacramenta ministrare, populum catechesim docere, praedicare, officia persolvere, aliaque similia, tamquam in Ecclesia propria exercita. Porro qui haec exercent, nonnisi Parochus esse potest, aut in casu Rector, Coadiutor illius etc. ab Episcopo ad id destinati et statuti. Eiusmodi ne sunt Sacerdotes, de quibus in dubio? Si affirmative, reponimus anniversarium Dedicationis Ecclesiae succursalis ab eis celebrandum esse cum Officio et Missa, candelis de more accensis ante cruces in parietibus positas. Secus respondemus, praefatum clerum parochialis Ecclesiae non teneri nec posse anniversarium succursalis celebrare, utpote illi non adscriptum, quamvis haec Ecclesia, cum succursalis sit, ad ipsum pertineat. Hinc S. R. C. exquisita : « Si alicui Ecclesiae consecratae nullus clerus sit addictus, debet aut potest Clerus Ecclesiae parochialis, intra cuius limites Ecclesia illa existit, recitare officium Missamque celebrare in Anniversario Dedicationis Ecclesiae ? » respondit : « Negative (*Marsorum. 12 Nov. 1831 ad 35*) ». Ex hoc tamen non sequitur, clero parochialis Ecclesiae, maxime si consuetudo vigeat, vetitum esse in succursalem Ecclesiam, pro parochiali, die anniversarii eius Dedicationis, pergere posse, Missam et Vesperas, et quidem satisfaciens, ibi cantandi causa, ut festum celebret : modus unicus, quo, in casu dictum anniversarium celebrare licet.

Nota. Cappellae seu Oratoria Seminariorum, Hospitalium, uti Episcopii, Communitatum, dicuntur publica, si principalia sint, ad hunc unicum effectum conformitatis habendae inter officium et Missam. Hoc et non aliud edicit Decretum *Ruthenen.* d. d. 22 Maii 1896, cui forte cl. consulens innixus aliud Dubium proposuit *(V. Ephemer. 1896, pag. 362 et 363)*. Stat proinde ius antiquum super

festo Titularis in dictis Oratoriis non celebrando, cum vere publica non sint, sed ad summum semipublica. Id quidem generice loquendo; fieri enim potest, ut aliquod ex illis sit publicum, imo et consecratum, sed hoc in casu cessat questio, cum de eo celebrandum iure sit festum Titularis, et etiam anniversarii Dedicationis si consecratum sit, consueto ritu, a clero, inquam, illi adscripto.

IV. *E Belgio.* **De Missa exequiali in die sequenti** (dup. I cl.) **sepulturam ad vesperam.** Si in Dominica ad vesperam sepelitur cadaver, potestne feria II sequenti cantari Missa exequialis, cum sit dup. I aut II classis?

Resp. 1. Distinctione opus est; namque istud dup. I cl. aut est ex solemnioribus, quae Missam praesente cadavere excludunt, aut non: in prima hypothesi non licet, in altera vero citra dubium Missa exequialis permittitur. Ratio est, quia ex iure recentiori hoc habemus iudultum: « Cadaver absens ob civile vetitum vel morbum contagiosum, non solum insepultum, sed et humatum, dummodo non ultra biduum ab obitu, censeri potest ac si foret physice praesens, ita ut Missa exequialis in casu cantari licite valeat quoties praesente cadavere permittitur *(Calagurritana et Calceaten. 13 Febr. 1892 ad 27).* » Atqui Missa exequialis praesente cadavere permittitur etiam in dupl. I classis, nisi e solemnioribus sit; ergo et in casu permittitur absente cadavere.

Opponi potest huic certae responsioni, cadaver non fuisse absens *ob civile vetitum vel morbum contagiosum*, ac proinde legem lati Decreti applicari non posse. Sed respondemus, *civile vetitum vel morbum contagiosum* esse gravem causam, quae ad alias similes ex novo iure extendenda est: ut proinde limitatio ad duas solas recensitas taxative causas impraesenti amplius sustineri non debeat, sed ad aliam quamcumque gravem extendendam. Quam profecto fere semper adesse in casu nemo non videt; quia

cadaver non ad libitum sepeliri potest, sed vel ex lege civili, vel ob corruptionis periculum.

Resp. 2. Si autem in praefata feria II dup. II classis occurrat, sine tamen feriatione, non solum Missa de requie cantata, sed etiam Missae privatae de requie cum applicatione celebrari possunt pro defuncto, uti constat ex Decreto *Aucto*, d. d. 8 Iun. 1896, dummodo cantata non omittatur, iuxta Decretum *Romana* d. d. 12 Ian. 1897 ad II.

V. *E Cracovia*. **De Matutino et Laudibus defunctorum in anniversario sine Vesperis**. Inter multas fundationes perpetuas nostri Conventus Cracoviensis inveniuntur nonnullae, quae praeter Missam etiam obligationem cantandi Officium Defunctorum exposcunt. Quae autem pars huius Officii sit cantanda, documenta Fundatorum originalia seu Litterae fundationales expresse haud exprimunt. Haec enim documenta iuxta morem antiquum dicunt tantum generaliter : v. g. « pro anniversario cantando » vel « pro Missa cum Vigiliis cantanda ».

In satisfactionem praedictarum singularum fundationum cantatur in choro solum tantum Matutinum cum Laudibus Officii Def. ante respectivam Missam fundatam; Vesperae autem Def. (pridie anniversarii fundati), iam de regula, ab immemorabili tempore non absolvuntur. Circa talem antiquum morem absolvendi Officium Def. ortum est, novissimo tempore, in conscientia aliquorum Patrum nostri Conventus dubium, an scilicet Conventus satisfacit voluntati Testatorum, absolvendo ex Officio Def. solum *Matutinum unius Noct. cum Laudibus*, sine praevia absolutione Vesperarum eiusdem Officii Def. Ideoque quaeritur:

1. An semper praemitti debeant Vesperae Off. Def., quando ex obligatione Fundatorum absolvendum est Matutinum eiusdem Officii Def. sive unius, sive trium Nocturnorum, sicuti praemitti solent pro prima die Mensis, vel

pridie Commemorationis Omnium Fidelium Def. ex Rubricarum praecepto ?

2. An in Officio Def. cantato cantari etiam debeant psalmi : « *Lauda anima mea* » in Vesperis , et « *De profundis* » in fine Laudum ? Si forte affirmative, quo tono cantari debent, quia Rituale Romanum nullam apponit melodiam in respectivis locis ad supradictos psalmos ?

Resp. 1. Negative. Officium enim defunctorum ratione fundationis recitandum est sicuti Rubrica Ritualis indicat. Atqui Rubrica Ritualis de Vesperis defunctorum ne verbum quidem habet; ergo Vesperae in casu omitti possunt. Et sane non intelligitur , cur, si Vesperae dicendae essent, nihil plane Rubrica exprimat. Hinc ait Cavalerius: « Quod Vesperae cantandae non sint, satis Rubrica indicat, dum super iisdem silentio habito , dilucide assignat quae cantare intendit, tria scilicet nocturna cum Laudibus (1). » Concludit autem dicens : « Crederem ego itaque, quod hac in re potior haberi queat ratio suffragii quam officii ; ac consequenter quod qui abundare intendit, liberum illi sit Vesperas nocturnis praemittere, non autem postponere, ne defuncti videantur habere secundas Vesperas, quibus expoliati manent mysteriosis de causis (*Tom. III, cap. XV, Decr. LX, n. 1*). » Quam sententiam et suam facit cl. De Herdt, scribens: « Similiter in... anniversario aliisque diebus, si Vesperae dicantur, pridie recitandae vel cantandae sunt, etc. Ita Rituale Romanum de exequiis praescribit,

(1) *Tria scilicet nocturna* etc. Ita Rubrica se exprimit tam de officio agens praesente cadavere, quam absente, uti in anniversario. Sed ait quoque : « vel saltem unum nocturnum cum tribus lectionibus et Laudibus, et Missa (*Tit. VI, Cap. 5, n, 1*). » Si proinde consuetudo ferat, ut in casu, ut hac ratione officium defunctorum fundatum decantetur, nemini dubitandum, ita continuari posse uti hactenus factum est.

officium defunctorum ab Invitatorio in exequiis mane celebrandis esse incipiendum (*Pars 5, 127 n. 3*) ».

Martinuccius, qui contrariam sententiam tenet, non de anniversario loquitur sed de officio praesente cadavere: quod etiam praefatus De Herdt respiciens aliqua laborat incertitudine. Sed fere universalis consuetudo, optima legum interpres, favet sententiae Cavalerii: quibus si addas in casu consuetudinem immemorabilem loci, habes sententiae nostrae, saltem quod attinet quaesitum propositum, plane certitudinem moralem.

Quod si ~~in aliis~~ rerum adiunctis Vesperae sint praemittendae, nihil obstat, quia id praescribit aperte Rubrica. Imo sententiam nostram id confirmat; sicut enim in his casibus dicendae sunt, quia lex illas praescribit, ita in casu nostro omitti possunt, quia de iisdem lex tacet.

Resp. 2. Negative. Quia Rituale Romanum sive typica editio perpendatur, sive aliae post typicam usque ad quintam quae hucusque prodiit, omnia quae sunt canenda in officio defunctorum apprime ponit cum suis musicalibus notis, ac relativis modulationibus et tonis, tam in antiphonis quam in singulis psalmis. At vero cum de psalmo *Lauda, anima mea* in Vesperis, et *De profundis* in Laudibus nihil notet; ergo, sequitur, iidem psalmi cantari non debent, sed recitari: secus in iis quoque signaret, sicut in aliis, musicas notas. 2. Quia tam primus quam alter psalmus dicendus est post Horam absolutam; ut non Horae rationem habeat sed precum, sicut quae habentur post Vesperas aut Laudes officii ferialis, in quo habetur pariter psalmus cum aliis precibus, quae non concinuntur, sed simpliciter recitantur ratione luctus: momenta, quae a fortiori valent in casu. 3. Quia ita fert consuetudo universalis, quae proinde servanda.

VI. *Ex Anglia.* **De altari mobili in fixum convertendo.** In quadam Ecclesia S. Ioanni Baptistae dedicata erectum

fuit Altare lapideum, quod « Altare Portatile » insertum continet.

Rector huius Ecclesiae valde cupiens tale Altare consecrari, quaerit: An, remoto Altari Portatili, poni possint Reliquiae, die consecrationis huius Altaris, in fossa ubi fuerat Altare Portatile, superimposito lapide, mensura Altaris Portatilis, tempore suo ab Episcopo, scilicet:... « accipit tabulam seu lapidem, cum quo debet claudi sepulchrum etc. »; si negative an, novum debeat erigi Altare?

Resp. Pontificale Romanum ritus describit pro consecratione altaris, tam portatilis quam fixi; et sicut in illo, ita in hoc consecrando ii servandi certe sunt. Iam nunc non videmus quomodo hoc comprobari possit, si simpliciter extrahatur e tabula, esto lapidea, parva petra consecrata, et pro illa in fossa reponantur sacrae Reliquiae. Id enim partem rituum constituit, haud vero totam rituum seriem, quam praefatus codex requirit. Itaque ut dubio proposito faciamus satis, sequentia notanda sunt: 1. Tabula consecranda debet esse lapidea, una, integra totamque mensam (1) constituens. 2. Tabula cum structura inferiori debet esse apte composita; quia Pontificale exigit *coementum* non solum pro liniendo sepulchro reliquiarum, sed etiam pro *iunctura mensae altaris cum stipite*. Hinc Rubrica: « ...Pontifex... inungit in modum crucis coniunctiones mensae seu tabulae altaris et... stipitis, quatuor angulis, quasi illa coniungens etc. » 3. Structura inferior, vel saltem columellae, quibuscum altaris Tabula coniungenda erit, sint quoque ex lapide, sicut mensa altaris:

(1) Absolute loquendo ex utraque longitudinis parte tabulae, hinc inde addi pars aliqua posset, adeo ut totam mensam Tabula non constituat; sed eo in casu partes additae hinc inde considerandae non sunt in unctionibus, dum per quatuor angulos mensa coniungitur stipiti.

ita praesenti disciplina liturgica exigente. 4. Fossa debet esse clausa ab inferiori parte, ita ut Reliquiae, iure praesenti inspecto, non subtus, sed intra altare maneant: videlicet in sepulcrulo, quod postea cooperculo clauditur. Si haec in casu comprobentur, nil vetat, quominus, remoto sacro lapide e medio Tabulae lapideae, servatisque servandis ritibus praescriptis, Episcopus Ordinarius altare mobile ad modum fixi consecrare licite queat. Secus, negative.

VII. *E Catania.* **De SS. Sacramento non transferendo in aliud altare, occasione tridui vel novendialis.** Decretum in *S. Iacobi de Chile* d. d. 16 Martii 1861 prohibet SS. Sacramentum transferre in aliud altare occasione alicuius novendialis . . . ; *Ephemerides* vero (anno 1894 pag. 406) docuerunt id licitum esse. Quid ?

Resp. Decretum a Consulente citatum perlegimus, in eoque prohibitam invenimus translationem de qua sermo est; et *Ephemerides* perlegimus, sed in loco citato minime invenire potuimus dictam translationem licitam esse. In *Ephemeridibus* quaerebatur: « num liceat in eadem Ecclesia SS. Sacramentum in duobus altaribus semper vel saltem ad tempus eodem tempore asservari ; vel aliquoties infra annum hac illac pro lubito tabernaculum cum Augustissimo Sacramento collocare ? » Maioris perspicuitatis gratia, Disserens supra expositum dubium his quatuor quaesitis restringebat: 1.° Licetne Sacramentum asservare duobus in altaribus eodem tempore et perpetuo ? 2.° Licetne id facere ad tempus, verbi gratia ad tres dies, ad novem? 3.° Licetne saltem idem facere tempore tantum alicuius sacrae functionis, v. g. benedictionis etc. ? 4.° Licitum ne est Sanctissimum de altari in altare transportare ? Ad 1.^{m} quod spectat Disserens respondit: «Sive Rituale interrogetur sive Caeremoniale, alte silent ; et de Eucharistia duobus in altaribus asservata vel asservanda ne verbum quidem. Pari modo Pontificiae Constitutiones negotium hoc

silentio praetereunt . . . Rubricae e contra de uno tantum tabernaculo loquuntur in uno solo altari collocando, Eucharistiae asservandae gratia. Concludere capropter licebit, consuetudinem de qua in primo quaesito, liturgicis non inniti codicibus, illicitam ideoque praedicandam . . . . Arroges S. R. C. Decreta haud deesse quibus sententia nostra fulcitur . » Quae decreta sunt, inter alia, in una *Lisbonen.* d. d. 18 Iulii 1597, in una *Augustae Praetoriae* d. d. 21 Iulii 1696 ad 3. 2.° Licet saltem id facere ad tempus, v. g. ad tres dies, ad novem? Et respondetur: Negative, quamvis, ut ait Rev. Disserens, auctores liturgici super hac quaestione inter se discrepent ; nam S. R. C. litem diremit, edicens: « Consuetudo huiusmodi est omnino irrationabilis, nullo fulcitur vel cultus splendore, vel fidelium commodo, vel caeremoniarum utilitate. « Et hic affert Decretum citatum a Consulente nempe in una *S. Iacobi de Chile* d. d. 16 Mart. 1861 ad XIII, ubi legitur: « Utrum ferri possit consuetudo plurium Ecclesiarum huius Archidioeceseos, et praesertim Regularium, asservandi SS. Eucharistiam in duobus aut tribus Altaribus ; et nonnunquam occasione novendialis, aut alicuius festivitatis transferendi etiam in aliud altare diversum ab illis, in quibus ordinarie asservatur? » Et responsum fuit : « Negative ». Quo in decreto notandum venit prohibitam esse potius irrationabilem praxim asservandi SS. Sacramentum in duobus aut tribus altaribus, quam eiusdem SS. translationem ab uno in aliud altare; nam quod dicitur in secunda parte dubii hic prohibetur propter suam connexionem cum prima, uti eruitur ex verbis : *et etiam in aliud altare diversum ab illis, in quibus ordinarie asservatur.* Et quoniam prima est inconveniens, ita et secunda ; cum ab uno inconveniente nonnisi aliud inconveniens oriri possit, uti in casu ubi SS. Sacramentum non amplius in tribus altaribus asservaretur, sed in quatuor. Et quis prohiberet illud posse asservari

etiam in septem, imo et viginti? Sed progrediamur. « Ad tertium brevissimo calamo respondentes dicimus: solam et veram necessitatem permittere, ut SS. Sacramentum duobus in altaribus asservetur tempore tantum unius sacrae functionis, ut Vesperarum, Benedictionis, solemnis Orationis 40 horarum etc.; et in hoc casu S. R. Congregationem et Rubricas normas statuisse, quibus ritus et caeremoniae dirigendae sunt. Ad ultimum tandem dubium quod spectat videamus, num hac illac, alicuius sacrae functionis causa, SS. Sacramentum transferre liceat.

Ecclesiae mens est ut Sacramentorum maximum in ornatiori atque nobiliori altari conservetur. Nihilominus haud quidem tam rigorose istud Ecclesiae votum accipiendum est, ut numquam liceat in alio altari tabernaculum collocare, etsi occasione triduanae functionis, vel alicuius novenarii. Re quidem vera, si Rubricis innitamur, hanc consuetudinem ipsae non damnant. Quamquam enim de asservatione loquantur in elegantiori ac principaliori altari facienda, hoc tamen de continua, haud quidem de temporanea asservatione intelligendum venit; cum praescriptum Rubricarum tunc bene comprobetur, de generali regula, nempe, SS. Sacramentum in nobiliori altari conservari, quamquam infra annum interdum in aliud altare transferatur. Quod Rubrica districte et absolute prohibet, conservatio est *eodem tempore* facta, in duobus vel pluribus altaribus. Cum eapropter comprobetur in uno tantum altari SS. Sacramentum collocari, nil impedit quominus in aliud altare transferatur, data necessitate vel iusta causa, certis in circumstantiis...

Ex quibus omnibus colligere licet, vera et iusta urgente causa, Eucharistiam custodiri posse in altari alio ab illo, in quo *de more* Sacramentum asservatur. Cui sententiae communis etiam suffragatur Urbana praxis; saepissime enim Romae videre datum est, occasione novendialis

alicuius vel etiam tridui aut Missae, in honorem B. Mariae V. celebratae aut S. Ioseph, vel alíus Sancti, Tabernaculum cum Venerabili, in altari quo haec pietatis exercitia peraguntur, translatum ».

Ex iis vides valde diversam esse praxim, quam heic *Ephemerides* sustinent, ab illa quae a Decreto S. R. C. proscribitur. In isto enim agitur de continua atque eodem tempore facta asservatione Sanctissimi Sacramenti in pluribus altaribus, adiecta insuper alia translatione in aliud altare; in illis vero agitur de translatione Sanctissimi ab altari, in quo *de more* asservatur, in aliud altare *pro tempore* asservando, occasione alicuius festivitatis, tridui etc. In primo casu grave inconveniens oritur, SS. Sacramentum nempe pluribus in altaribus asservari debere; in secundo vero nullum oritur inconveniens, cum Sacramentum in uno tantum altari adhuc asservetur, quamvis non sit illud solitum. Nisi dicere velis altare in quo de more SS. asservatur ita esse illius proprium, ut numquam liceat etiam ad tempus alio in altari illud recondere. Quod nescimus quomodo sustineri possit.

Placuit nobis aliquantulum hac super quaestione immorari; agitur enim de casu ut ita dicam fere quotidiano, in quo honor ac reverentia tanto Sacramento debita non satis magni fit.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro Austria*. Occurrentibus die 26 Sept. Dedicatione Ecclesiae propriae: die 29, Dedicatione S. Michaelis Arch. Patroni princ. cum festo fori : et die 30 dicti mensis, S. Hieronymi Titularis Ecclesiae propriae : ita officium de in-

fra octavam ordinandum est, ut fiat de digniori cum commemorationibus de minus dignis. Atqui Dedicatio est festum Domini, et utpote Ecclesiae pr. aliis festis est dignius: ergo de Dedicatione Ecclesiae propriae agendum est officium, alia vera officia commemoranda sunt. Ordo autem commemorationum erit sequens: 1. de S. Michaele Arch. cuius dignitas Sanctorum dignitati praevalet, 2. de S. Hieronymo.

II. *Pro eod. loco.* Quando S. Wenceslaus Mart. Tit. Ecclesiae Cathedralis concurrit cum B. Ladislao Patrono regni, cum sint eiusdem ritus, et Titulus sit per accidens festum secundarium, quod extra Ecclesiam Cathedralem supponitur recolendum, dum Patroni festum est primarium, integrae Vesperae erunt de Patrono, et fiet com. de Titulo.

III. *Pro eod. loco.* Die Palmarum, uti diebus omnibus dominicis Quadragesimae, octavae indultae in Quadragesima considerari nullo modo debent, ut post Completorium in Sabbato amplius habere locum nequeant. Imo in Dominica Palmarum neque ad Vesperas resumi possunt, sed cessare debent omnino.

Nota. Reliqua dubia super hac materia vide in num. 1. Ephem. praesentis anni 1898, pag. 49, XIII.

IV. *Pro Oppido Vicario Segobricensi.* In Cappellis non debent esse fontes, esto portatiles, neque arbores aut plantae arborum instar: quia haec omnia horti sunt propria, non Oratorii. Flores autem, uti et frondes, super altaribus legi liturgicae sunt conformes, et permittuntur. Neque obstat si Cappellae, de quibus in casu, eriguntur in honorem almae Virginis a *Lourdes* nuncupatae. Equidem Cappella Ecclesiae principalis, ubi Virgo apparuit, fontem habet, et iure; aedificata enim in loco apparitionis et fons relictus est, qui ex prodigio ibidem scaturivit. Sed alias Cappellas, quae in honorem dictae Virginis aedificantur,

fontes dedecent, utpote res profanae in loco sacro. Ita nobis videtur. Idem dicendum credimus de piscibus in magna ampulla servatis in honorem S. Raphaelis Arch. ad piscem significandum, quo Tobiae curata fuit infirmitas. Vanae sunt curiositates, quae magis a Deo mentem distrahunt, potiusquam ad illum inclinant, et quas loco sacro convenire non arbitramur.

V. *Pro cod. loco.* Lux electrica, definitum est, *ad cultum* adhiberi nequit; permittitur tamen ad Ecclesias splendidius illuminandas, et ad externam Ecclesiarum pompam augendam, *cauto* semper *ne modus speciem praeseferat theatralem.* Ita Decr. 4 Iun. 1895. Quomodo autem verba Decreti intelligenda, et quo sensu accipienda videre est in *Ephemeridibus* an. 1895 pag. 606 et seq. Ex quibus apparet lucem electricam (de alia luce Decretum silet, sed idem satis probabiliter dicendum) super altaria prohiberi; sed sicut permittitur ad illuminandam Ecclesiam, ita et ad illuminanda splendidius ipsa altaria, quae in Ecclesia sunt, modo super ipsa non sit, et ad cultum non inserviat.

VI. *Pro Germania.* Genuinus textus Decreti **Orationum et Sequentiae in Missis defunctorum**, quod attinet num. V, sequens est: « Quod denique ad Sequentiam attinet, semper illam esse dicendam in *quibusvis cantatis Missis, uti etiam in lectis quae diebus ut supra privilegiatis fiunt:* in reliquis, vel recitari posse vel omitti ad libitum Celebrantis iuxta Rubricas ». Interpunctionis signum per virgulam locum habere quidem debet post *Missis;* sed post *lectis*, nequaquam. Hoc autem, quod studio factum est, significat Sequentiam esse dicendam *in omnibus et singulis Missis de requie cantatis*, sive diebus privilegiatis dicantur, sive in aliis non privilegiatis. In Missis vero lectis *dicenda est* quando fiunt diebus privilegiatis; dici potest vel omitti in reliquis, videlicet lectis; quia in cantatis

semper dicenda est, ut supra. Hic est sensus genuinus praefati Decreti.

VII. *Pro Patavio.* Occurrente Sacratissimo Corde Iesu Titulari cum Ss. Apostolis Petro et Paulo, aut S. Ioanne Baptista, de his agendum festum, illud autem transferendum est, id praedicante Decreto *Urbis et Orbis* **Altero nunc** d. d. 28 Iun. 1889, et ratione liturgica, ex qua festa solemniora localia cedere semper debent festis solemnioribus universalis Ecclesiae.

VIII. *Pro cod. loco.* Com. octavae in dup. I aut II classis omittenda est : si privilegiata illa sit, considerari debet privilegii natura : quod nos facere nequimus, cum Decretum quod innuitur, non habeamus, et in Collectione non reperiamus.

IX. *Pro cod. loco.* Quaenam sint novae concessiones pro Missis praesente et non praesente cadavere, videsis Ephem. Liturg. an. 1892, pag. 449 et seq. Decr. *Calagurritana et Calceaten.* ad Dub. 27: et an. 1896, Decretum, pag. 453 et seq., ac pag. 513. Quaenam autem sint festa primaria, et quaenam secundaria, videsis easdem Ephem. an. 1892, pag. 572 et seq. Haec autem omnia Monialibus a relativo Cappellano ostendantur et explicentur.

X. *Pro cod. loco.* Cum Sacerdos dat benedictionem, seu in Missa seu in communione, devotio, ratio liturgica, et praxis universalis satis dictant ab adstantibus esse caput inclinandum et crucis signum faciendum.

XI. *Pro cod. loco.* Ad rem cl. Marc: « Satisfacit praecepto (*audiendi Sacrum*) qui stat... ad fenestram, quae fert in templum, etsi non videat Sacerdotem : modo ex signis assistentium, sonitu campanulae etc. advertere possit quid a Celebrante agatur (*P. II. Sect. II. Tract. III. De 3.° praec. Decalog. Cap. III*). » Ergo et lucrantur Indulgentiae, pro Missae auditione statutae.

Nota. Super iure praecedentiae commemorationis S.

Institutoris iudicium ferre non possumus, cum nesciamus cuius naturae eadem commemoratio sit.

XII. *Item pro Patacio.* Ex Rubricis facultas non denegatur gestandi cereos accensos in quacumque processione, et a quibuscumque Confratribus, qui illam constituunt ; sed obligatio nulla imponitur, nisi de convenientia agatur, quae maxime favet processioni SS.mae Eucharistiae *(Cf. Caerem. Episc. Lib. II, cap. 32, n. 9).*

Nota. Reliqua pro nunc Dubia praetermittimus, cum extra ius nostrum sint, et alienam provinciam tangant, dispositi, favente tempore, ad respondendum quamprimum nobis erit facultas.

XIII. *Pro Hollandia.* Die festo S. Marci, ubi non fit processio, Missae privatae dicuntur de festo sine com. Rogationum. Constat ex Missali, et ex omnibus calendariis.

Nota. Super obligatione huius processionis agendae in paroeciis, vide Ephemer. an. p. p. 1897, n. 3, pag. 152.

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE APRILI

Extat in Ecclesia B. insignis et pretiosa Reliquia S. Adaucti, cuius festum agitur sub ritu simplici in Breviario Romano (30 Aug.) una cum S. Felice Mart., habentque lectionem unicam et Orationem propriam. Parochus implicatur, et dubitat quid agendum, seu circa separationem unius ab altero festo, seu circa unius aut utriusque ritus, et qualis, elevationem, seu circa lectionem et Orationem, a quibus optaret S. Felicem scindere. Quomodo instruendus ?

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro mense Ianuario 1898 propositae (1)

PROPOSITIO

Sacerdos, Missam agens pro solemni post illam benedictione impertienda populo, hostiam alteram maiorem super Altari extra Corporale positam consecrare obliviscitur. Quaeritur 1° quid de dicta hostia iudicandum et agendum ? 2° Quid facere debeat Sacerdos in casu ?

SOLUTIO.

Ante omnia, pro certo tenendum est ut, ex praecepto ipsius Rubricae et ad omnes animi tollendas anxietates, ponere oporteat hostias consecrandas, si non semper super petram sacram ob eius exiguitatem, saltem super Corporale, et insuper consecrationem illarum intendere, si non actualiter et expresse, saltem virtualiter et implicite.

Iam primam declarationem habemus Titulo XX rubricarum generalium, Altare vel saltem aram lapideam in eo insertam exigentis, « quae tam ampla sit ut hostiam et maiorem partem Calicis capiat », et ex ritu servando Tit. 2, n. 3, » si (Sacerdos) est consecraturus plures hostias.... quae ob quantitatem super Patenam manere non possint, locat eas super Corporale »: adeo ut, inquit Stella, cap. 1, § 3. « sacri lapidis limitibus per Corporale suppleat Rubrica, super quo omnino esse praecipit omnem Consecrationis materiam », et cl. Lehmkuhl, n. 125 :

---

(1) Consuetam ad nos miserunt praefatae quaestionis solutionem Athenaei nostri Liturgici duo Academici, nempe cl. Nivardus Bossi et Anastasius Fourneret. Utriusque opus, seu doctrinae seu eruditionis, seu ordinis ac perspicuitatis merito commendamus, huius tamen postremi vulgare iudicatum est.

« sufficit ut Ciborium quoad maiorem partem in sacra petra consistat, quum Rubricae idem disponant de sacro calice. Et quamquam *per se* omnis materia consecrata usque ad Communionem Sacerdotis consistere debet in sacra petra, nihilominus si *propter sacri lapidis angustiam* Calix et Ciborium simul in eo consistere nequeunt, hic non videtur tantus defectus esse, ut Ciborium in eo Altari consecrare non liceat. Videtur enim sufficere ut ipso consecrationis tempore materia accessoria in sacro lapide ponatur, statim removenda, ut locum cedat calici consecrando », et iuxta Marc, n. 1527 : « certa est consecratio, si Ciborium positum sit extra petram quidem, sed in Corporali super petram extenso, etsi de Ciborio consecrando non recurrat cogitatio, hoc enim in casu iam moraliter in petra invenitur » aliquo modo per Corporale extensa.

Deinde quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere debet, ut velit omnes hostias consecrare, quae ante se ad consecrandum positae sunt, et itaque iuxta Titulum VII, n. 2 rubricarum generalium. « si aliae fuerint hostiae non super patenam sed super corporale . . intentionem suam etiam ad illas offerendas et consecrandas dirigens, dicit ut supra *Suscipe* etc. », et item ex Titulo VIII. n. 5 : « si adsit vas cum aliis hostiis consecrandis... secreto profert verba consecrationis super hostiam et simul super omnes, si plures sint consecrandae ». Notandum est autem cum Tit. VII, n. 4, *De defectibus :* « si intentio non sit actualis in ipsa consecratione propter evagationem mentis, sed virtualis, cum accedens ad Altare intendat facere quod facit Ecclesia, conficitur sacramentum, etsi curare debet Sacerdos ut etiam actualem intentionem adhibeat ». Idque valet, quamvis nec ore nec corde reflexe dixerit se intendere sacramenti confectionem, sed sufficit, ut ait S. Ligorius lib. 6, n. 216, « si celebrans plures hostias ad Altare tulerit, aut rationabili modo adverterit ab alio adferri a se consecrandas, vel ante sacrificium monitus fuerit de consecrandis in Altari iam positis. Omnes enim consecrantur etsi, dum consecrat, earum non ita expresse meminerit aut etiam ad oblationem non detegat, modo sint praesentes in Corporali vel saltem in Altari, si iam primum putavit eas esse intra Corporale collocatas, quia intentio praecedens respectu

illarum virtualiter perseverat ». Hinc, concludit Scavini Tom. 3, n. 486 in nota, immerito et imprudenter aliquis de consecratione dubitat, si aspectas relinquit hostias in loco quem iudicat aptum ad consecrationem, quin a sua intentione illas positive excludat; et ideo sufficit intentio, quamvis virtualis implicita, et non exercita. Neque dicas consecrationem ex errore fieri invalidam quia, si ab ipso celebrante nosceretur, non consecraret, ne ageret illicite: « quia error speculativus et privatus non obstat intentioni practicae et absolutae consecrandi omnes praesentes, quam tanquam ecclesiae consuetudini conformem quisque censetur habere implicite, ut docent *Sylv.*, *Henr.* et *Suar.* cum *Nav.*, *Bon.*, *Vasq.*, *Conin.*, *Lugo* et *Comm.* apud *Salm.* cap. 4, n. 128 ». Quapropter. 1° si Sacerdos in Missa iam consecraturus, de parvis hostiis cogitavit, etsi ex errore eas reliquit extra Corporale, certissime consecratae sunt, ut ait Lehmkuhl; 2° si Sacerdos eas intra Missam, ut in offertorio, aspexit atque consecrare intendit, magis etiam si tunc temporis eas assumpsit atque in Corporali super sacrum lapidem se eas collocare putavit, dubium esse nullo modo potest quin sint consecratae, etsi momento consecrationis earum plane immemor fuit. Siquidem, subdit Lehmkuhl, intentio consecrandi implicite dirigitur ad omnem materiam consecrabilem quae intra Missam a Sacerdote vera intentione ad consecrandum assumpta est, sive re sive sola mente, modo ne intentio retractata sit (De Eucharistia, n. 125).

His praemissis, deveniamus nunc ad quaesitum, nempe: utrum censenda sit veluti consecrata maior altera hostia, ad solemnem benedictionem ordinata, si Sacerdos verba consecrationis proferens, non de illa cogitaverit consecranda quae ex oblivione super Altare relicta sit extra Corporale: vel aliis verbis, utrum haec oblivio sit tantum inculpabilis laesio ritus perfectioris, an etiam tangat consecrationis valorem?

Resp. I. Si inadvertentia vel oblivio respiciat tantum positionem hostiae extra Corporale, et Sacerdos aspiciat hostiam quin a sua intentione illam excludat, non solum valide, sed inculpabiliter, et proinde licite fit illius consecrationis tempore, sicut prorsus legitima foret omnis consecratio, si non advertens sine Corporali celebraret. Talis enim distractio nec intentionem

consecrandi nec piam attentionem ad verba prolata vitiat aut minuit etiam ad confectionem sacramenti. Ita Richaudeau in suo opere *Nouveau Traité des Saint Mystères* cum aliis omnibus auctoribus antea citatis, qui rem certam plane faciunt.

Resp. 2. Si inadvertentia vel oblivio respiciat ipsam hostiam ita ut super Altare posita fuerit, *inscio omnino Sacerdote,* et nullam habuerit intentionem consecrandi eam, certe non est consecrata, quia voluntas non fertur in incognitum. Itaque si ponens quasdam hostias in una parte Corporalis, tu consecras, ignorans alias esse in altera parte hostias, hae ultimae non consecrantur, quia ignoti nulla cupido, ut docet S. Ligorius lib. 6, n. 215; et non satis intelligitur, ut merito animadvertit Richaudeau, quomodo Presbyter caecus (quod tamen eveniret) hostias posset invitus consecrare, quae in sua mente non determinantur saltem *in confuso*, quia neque vidit illas neque scit illas, ut fert hypothesis, esse consecrandas et ad hoc fuisse in Corporali positas. A fortiori igitur, si agatur de hostia extra Corporale posita, inscio Sacerdote, quia ne intentio quidem interpretativa existere potest. Nam in tali casu nullus Sacerdos hoc nomine dignus vellet *scienter* consecrare, et intentio interpretativa supponit quod, si celebrans nullam quidem habuit et habet actualem intentionem, ita tamen dispositus est ut, si adverteret, eam profecto haberet. Ergo in hypothesi prorsus deficit huius hostiae consecratio, quia nemo praesumitur dispositus ad consecrandum, si inde pro eo resultet gravis culpa *formalis*, et ideo non solum habet intentionem consecrandi eam, sed si adverteret, intentionem contrariam certe haberet. Ergo....

Resp. 3. Si etiam monitus de illa consecranda, nec attenderit hostiam ad Altare deferri, nec in actionis progressu eamdem consecrare intenderit, sed alio distractus, de eius consecratione facienda non cogitaverit, dubitatur vel saltem non certo constare potest an consecretur nec ne, si a sacrista posita est extra Corporale, ubi tempore consecrationis remansit, non advertente Sacerdote.

Alii, ut *Tanner* et *Praep.* apud *Croix*, et haud pauciores, ait cl. Ballerini, affirmant huiusmodi hostiam esse probabiliter consecratam quia, Sacerdos monitus de illa consecranda, iam

habuit voluntatem absolutam consecrandi eam, nec illa voluntas fuit retractata, ergo perseveravit virtualiter tempore consecrationis. Neque dicas, aiunt iidem auctores, voluntatem hanc esse conditionatam ex eo quod extra Corporale non consecretur sine peccato mortali; nam etsi illicita sit intentio consecrandi materiam, quam Sacerdos novit esse extra Corporale, non tamen illicita est intentio consecrandi materiam omnem, quae praesens est, etiamsi incaute in eo loco posita non fuerit, quo locari debuisset, sicut si quis ignoranter celebraret in Altari sine ara lapidea, nemo negaret illum vere consecrasse.

Alii autem communiter negant, reponentes quod, si haec ratio valeret, Ciborium aut huiuscemodi hostia consecraretur adhuc, etiamsi transeundo Sacerdos eam in credentia reliquisset, cum intentione illam deinde super Corporale asportandi, statim ut calix in Altari disponeretur, licet ex oblivione remaneat super credentia, tunc enim, sicut in primo casu, Sacerdos intentionem habuisset consecrandi eam, et ex altera parte distantia non esset obex consecrationi huius hostiae, quum theologi putant consecrationem fieri posse, licet hostia distet a viginti passibus. Nemo tamen tali consecrationi credet, et itaque dicere oportet quod si Sacerdos ex oblivione relinquat hostiam extra Corporale et, Missa durante, non illam ullo quocumque tempore aspiciat, nec suam oblivionem reparet ante consecrationem, iam non habet intentionem consecrandi illam, aut potius subordinatur eius intentio conditioni quod hostiam in Corporali ponere non obliviscatur, sicut conditioni subordinatur quod non relinquat hostiam in Sacristia. Aliter vellet facere peccatum grave, quale est consecratio extra Corporale facta: quod non praesumitur, nisi contrarium certo constet. Ita S. Ligorius qui hanc sententiam vocat probabiliorem, Craisson. Tom. 3, n. 3372, Scavini, Tom. 3, n. 736, Richaudeau iam citatus, Benedictus XIV, Tom. 2, n. 149, Costantini, n. 689. Ceterum *Croix* et *Lehmkuhl* aiunt monitionem antea v. g. a Clerico factam, id efficere quidem potuisse ut Sacerdos haberet intentionem assumendi hanc hostiam opportuno tempore ad consecrationem, ut *se proponeret* illam assumere ad consecrationem; sed certum non est an voluntas illa ante sacrum concepta, determinatio fuerit *absoluta* materiae con-

secrandae, ita ut iam hanc addiderit reliquae materiae consecrationis. Probabiliter contra fuit tantum *propositum* postea illam assumendi et in consecratione includendi: quod, num factum sit dubium manet, et proinde dubia manet quoque consecratio, cum solum propositum consecrandi certe non sufficit ut hostiae sint consecratae.

Respondent defensores primae sententiae quod, si non possit in Sacerdote praesumi intentio consecrandi, quoties circumstantia quaepiam, licet eidem Sacerdoti ignota, intercedat, quae si ab ipso nosceretur, eum a consecrando deterreret, ne scilicet ageret illicite, iam oportet dicere (quod nemo tamen admittit) ut non consecret Sacerdos, si forte calix non benedictus, aut corporale non benedictum, aut materia illicita Sacerdoti id non advertenti porrecta fuerit, et exinde quot sacrificia irrita et mutila! Item, ut perbelle advertit Reuter, Part. 4, n. 155, dicendum esset quod deficeret intentio in operante, quoties operatur contra legem invincibiliter ignoratam aut hic et nunc cognitam. v. g. in baptizante, ordinante, contrahente matrimonium, deesset intentio, quando subiectum sacramenti suscipiendi non haberet dispositionem requisitam ad fructum sacramenti, a conferente invincibiliter ignoratam. Quis tamen haec docere vellet?

Reuter quidem, subdit Ballerini Tom. 2, num. 283, gravia incommoda dicit non sequi ex intentione non consecrandi hostias extra Corporale positas, idque verissime dictum putabimus, si supponamus eiusmodi defectum non manere occultum, sed statim animadverti. At finge, quaeso, neque Sacerdotem neque alios defectum advertisse: en particulae adorantur, in tabernaculo reponuntur, fidelibus ad sacram communionem accedentibus distribuuntur, et pro Viatico ad infirmos deferuntur. Numquid satis gravia non sunt haec incommoda? Hinc ratio maximi momenti, qua Reuter evincit falsitatem illius principii generatim sumpti, nempe deesse in operante intentionem, quoties operatur contra legem invincibiliter ignoratam, manifeste vim omnem suam retinet in casu nostro. Quis enim valide consecratam negare aut dubitare poterit hostiam, quam Sacerdos non advertit extra Corporale sitam, et quam simul cum intentione actuali consecrat? Sit contra, quis consecratam habebit hostiam a Cle-

rico allatam, sed deinde ab ipso ex oblivione relictam in cornu epistolae capsula inclusam, utcumque in sacrario sermo cum Sacerdote de illa consecranda factus fuerit?

Solum dubium respicit Sacerdotem qui virtualem quidem inter consecrandum supponitur habuisse intentionem, sed hostia situ tam dissito aut minus decenti ita reposita est, ut plane inverisimilis sit coniectura de intentione circa illam. Ad litem finiendam, videre oportet ex perpensa praecedenti actuali Sacerdotis intentione, quousque etiam sese porrexerit intentio virtualis; nam virtualis non magis extendi valet quam actualis. Reiecta autem, ut vidimus supra, ea norma commensurandi intentionem, quae desumitur ex voluntate non faciendi quidquid *per se* foret utcumque illicitum, restat igitur ut dicamus eam virtualem intentionem sufficere ad consecrandam hostiam, quando circa illam non advertens tunc indebitum particularem situm, habere potuerit actualem intentionem. Itaque si ibi collocata sit particula, ubi Sacerdos, non advertens esse extra Corporale, satis tamen praesentem putare potuerit, atque adeo actualem intentionem habere consecrandi eam, dicemus intentionem consecrandi illam non defuisse; secus vero, si eo loci iaceret, ut Sacerdos non potuerit satis praesentem censere, et itaque actualem intentionem habere consecrandi illam.

1.° Quid de dicta hostia iudicandum et agendum? Respondeo dicendum quod quidquid sit de hucusque discussis speculative loquendo, in praxi hostia de qua in casu, iuxta Resp. 1.° veluti consecrata tenenda est, et proinde in ostensorio reponetur, et cum ea benedictio solemnis impertietur. E contra, hostia, iuxta Resp. 2.° veluti non consecrata habebitur, et cum panis communis esse continuet, simpliciter reportabitur in sacristia ad Missam in altero die dicendam, haud aliter quam hostia recenter confecta. Et iuxta Resp. 3.°, haec hostia, teste De Herdt, Tom. 2, n. 154, tanquam dubie consecrata habenda est: unde reverenter est tractanda, sed non adoranda, neque eodem cultu ac vere consecratae hostiae honoranda: non est populo distribuenda, nec proinde valet inservire ad solemnem benedictionem de qua in casu, sed sumenda est post sumptionem SS. Sanguinis, vel alicubi conservetur reverenter, uti in alio casu per rubricas

De defectibus Tit. 3, n. 5 et Tit. 10, n. 3 praescribitur. Idem dicendum est iuxta Quarti de hostia; quae aliqua aeris commotione asportaretur extra Corporale, ibique super mappa vel sub corporali maneret tempore consecrationis, Sacerdote non advertente. Si autem magnus hostiarum cumulus fuerit, in alia Missa sub conditione consecrari possunt. « Quia prima sententia, ait S. Ligorius, non videtur improbabilis, cum nec sit dubia, rationabiliter ait Benedictus XIV, *De Sacrif. Miss.* Tom. 2, n. 159, ciborium denuo consecrandum, vel, ut dicit *Tourn.* p. 394, in praxi particulas esse sumendas post Sanguinem, et ego addo post ablutionem, sed ante purificationem, quia reliquiae Sanguinis sunt certe Sacramentum, sed hostiae illae in Ciborio dubie. Censent autem *Tour.* et *Croix* posse eas etiam consecrari in alia Missa sub conditione, sed hoc mihi non placet, quia non videtur adesse iusta causa illas consecrandi sub conditione, cum iam sumi possunt ». Item iuxta Benedictum XIV, « cum Innocentius XI propositionem illam condemnaverit: *non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore*, quantumcumque ponderis ei sententiae tribuas, quae statuit eas particulas esse consecratas ac populo eas posse distribui, nihil aliud assequeris, quam ut probes, eam sententiam esse probabilem *speculative*, quod non satis est in hac re, in qua debemus tutiore uti sententia. Quapropter concludendum est particulas non esse populo distribuendas, sed asservandas ut in alia Missa consecrentur ». Idem dicit Clemens Marc: « Vel sumendae sunt (particulae) post pretiosum Sanguinem et ablutionem, sed ante purificationem, cum reliquiae Sanguinis sint certe sacramentum, dum de illis hostiis dubitatur an sint sacramentum, vel si iusta habeatur causa, consecrandae sunt in alia Missa sub conditione. Porro causa foret iusta si particulae illae essent in nimia quantitate, ita ut non facile consumi possent, vel si opportuno tempore aliae particulae non possunt haberi ». Et Lehmkuhl: « Particulae aut in sequenti Missa sub conditione iterum consecrandae sunt, aut (id quod, nisi aliunde incommodum oriatur, maioris reverentiae causa praeferendum videtur) post sumptionem sacri calicis, ante ablutionem, a Sacerdote celebrante consumi debent » Ex quo resultat hanc ho-

stiam regulariter sumi debere ante ablutionem, et si per exceptionem reservaretur in alia Missa consecranda, non tamen verbaliter exprimeretur conditio, ut satis innuunt S. Ligorius, Benedictus XIV, et ideo auctor novissimus Pourbaix Coppin in suo compendio dicit : « consecrantur autem sine conditione propter praesentiam maioris hostiae quae certo certius non est consecrata » (De defectibus, Tit. 7). Ceterum forma consecrationis numquam patitur conditionem verbis expressam.

2.° Quid facere debeat Sacerdos in casu? Haec ultima pars quaestionis respicit benedictionem impertiendam post Missam. Tres factae sunt hypotheses, ut vidimus supra, et ex earum solutione facilis est responsio. In prima datur benedictio cum hac hostia maiore, cum revera consecratur; in secunda non potest adhiberi, cum certe non consecratur, neque in tertia cum dubie tantum consecratur. Sed in his duobus casibus, quid agendum? Si non sint aliae hostiae, omittenda est absolute benedictio. Si vero parvae hostiae sunt in Ciborio consecratae, auctores libertatem dant inter benedictionem cum Ciborio impertiendam, et inter benedictionem cum ipso Ostensorio. Siquidem pro solemni benedictione nulla lex, neque Rituale Romanum, neque Instructio Clementina, neque decreta determinant hostiae amplitudinem in Ostensorio reponendae ad benedictionem SS. Sacramenti. Fides catholica nos docet Iesum Christum esse vere, realiter, et substantialiter praesentem cum suo corpore, sanguine, anima, et divinitate sub unaquaque particula hostiae : unde dimensio hostiae nihil ad rem facit et Dominus Iesus est totus in parva sicut et in maiore hostia. Quapropter si ex oblivione omittitur consecratio hostiae maioris ad benedictionem elargiendam, fideles non sunt benedictione idcirco privandi; sed, illi praemonitis, accipit unam ex parvis hostiis, quam in Ostensorio deponit, et benedictionem impertitur. Numquam autem in Ostensorio collocanda est hostia maior non consecrata, cui uniretur parva consecrata, ut fideles non animadvertant Sacerdotis omissionem. Hic agendi modus est omnino reprobandus, et Quarti prohibet illum sub mortali, quia fidelibus ansam idololatriae praebet.

A. Fourneret
ex Acad. Liturg. Roman.
Curé de Lannes (diocèse de Langres).

PECULIARIS DISCEPTATIO LITURGICA

Super quibusdam festis concessis ratione Reliquiarum.

Hispaniae Indultum quoddam concessum fuit sequentis tenoris :... « Concedimus quod quaelibet Ecclesia et Monasterium Hispaniae habens aliquas Reliquias insignes, puta Caput, Brachium vel Crus alicuius Sancti etiam alienigenae, non existentis in Breviario, vel de quo in dicto Breviario fit tantum commemoratio, possit illius festivitatem celebrare et officium duplex facere, et de alio Sancto eodem die occurrenti, si fuerit simplex, fiat commemoratio; si vero fuerit duplex vel semiduplex, transferatur in primam diem simili festo non impeditam *(30 Dec. 1573).* »

Nunc quaestio fit, an ritus, sub quo dicta festa celebrari debeant, esse possit *dup. maius,* an esse tantum debeat *dup. minus ;* cum Indultum dicat solum in genere « duplex ». Dubitandi ratio confirmatur ex catalogo, in quo recensentur officia concessa, quae sub *duplici maiori* ritu reperiuntur inscripta. Insuper nonnulla ex officiis, quae celebrantur, ad Sanctos pertinent, qui in Martyrologio Rom. non sunt inscripti, quamvis recenter e calendario fuerint expuncti. Adeo ut Indultum videatur aliquid concedere praeter legem ; hinc et ritus esse videtur *duplex maius,* sub quo de facto Calendarii redactor indulta officia notare censuit, donec per competentem auctoritatem quaestio dirimatur. Hinc quaeritur :

1. Dicta officia quo ritu, duplici minori, an maiori, sunt celebranda ?

2. Quid de Sanctis in Martyrologio non descriptis ?

Resp. 1. Quando S. R. C. concedit aliquod officium sub ritu duplici, sine addito, ut *per se* dignosci nequeat,

an *minus* sit an *maius*, definitum est, to *duplex* esse intelligendum de *minori*, non autem de *maiori*. Ita explicite Decretum in *Lauden.* d. d. 20 Nov. 1683 ad 3, cuius referimus responsum ad litteram : « Quando non explicatur qualitas ritus, an sit duplicis maioris vel minoris, Decreta intelligenda esse de duplici minori ». Citaturque in eo Decreto aliud, quod est in *Valentina*, et ad rem, uti adm. Rev. consulens facile intendit, maxime quadrat. Eapropter Dubium tertium huius Decreti et ad litteram referre necessarium iudicamus. En itaque textus, uti in nova Collectione prostat : « 3. Quaedam festivitates B. Mariae Virginis, utpote de Mercede, Desponsationis, et aliae Hispaniarum regnis concessae, celebrari praecipiuntur sub ritu duplici ; sed non exprimitur in Decreto quod celebrentur sub ritu duplici maiori, quemadmodum exprimitur in aliis festis B. M. V., nempe in festis Rosarii, Patrocinii et B. M. de Monte Carmelo, eisdem regnis Hispaniarum concessis. Quaeritur utrum omnes festivitates B. M. V. sint sub ritu *duplici maiori*, quamvis haec maioritas in Decreto concessionis talis festi non exprimitur ?

Et S. R. C. respondit : celebretur sub ritu duplici minori ». Ita legimus in praefata Collectione sub die 2 Oct. 1683.

Ex quibus sic arguere licet : Tam primum quam alterum ex relatis Decretis agunt de festis Deiparae, quibus melius indubie quam aliis Sanctorum competere potest ritus duplicis maioris : ut iuxta vigentem disciplinam ritus altior quidem, eo vero inferior nunquam festis Deiparae, etsi secundariis, concedatur. Porro in casu nostro non de Deiparae, sed de quorumdam Sanctorum festis agitur, quorum ritus, generaliter loquendo, sub dup. minori concedilur : quomodo ergo licebit pro *duplici ritu duplicem maiorem* intelligere ?

Arroges, ritum *duplicem* simpliciter dictum, sine ulla

inter minorem et maiorem distinctione, ipsummet fuisse sub quo praefata officia concedi potuerunt. Namque ea concessa sunt a Gregorio Pp. XIII, anno 1573; sed distinctio in duplex maius et minus a Clemente Pp. VIII inducta est in nova, post S. Pium V, recognitione Breviarii, quae nonnisi anno 1602 peracta est, uti ex Bulla constat Breviario praemissa eiusdem Pontificis. Si ergo rogata successu temporis S. R. C. quid pro duplici, quod festa praefata attinet, intelligendum esset, ritum *duplicem minorem* intelligendum esse respondit; id profecto significat, hoc et non aliud fuisse Sacri Tribunalis propositum, ut nempe sub ritu *duplici minori* celebrarentur, non vero *maiori*. Quod proinde statuit intelligendum de festis Deiparae, a fortiori esse intelligendum S. R. C. intendit de aliis Sanctorum festis.

Denique intelligere vix valemus, qua de causa officia Sanctorum, de quibus in casu, in Appendice notentur sub *duplici maiori ritu*, cum nihilominus de facto sub *duplici minori* recitentur. Quid hoc significare potest, nisi fortasse inscripta ea fuisse sub *duplici maiori*, post invectam praefatam distinctionem, ad maiorem Sanctorum, ob Reliquias eorum insignes, dignitatem ostentandam, sed revera sub duplici minori fuisse recitata? Ritus enim dup. minor vix a maiori discriminatur, si abstrahas a praecedentia duplicis maioris in occursu et concursu cum duplici minori, uti etiam in repositione. Consequenter standum credimus esse facto recitationis, potiusquam materiali inscriptioni ritus, quae nil fere antiquitus poterat significare. Impraesenti vero satis intercedit discriminis inter ritum *duplicem minorem et maiorem*; hoc enim iure translationis gaudet, quo ille citra controversiam destituitur.

At oppones, rationem Reliquiae insignis praeseferre aliquid potioris solemnitatis, adeo ut *duplex maius* dictis officiis potius videatur competere, quam *duplex minus*. Sed

reponi potest, quando illa fuere concessa sub ritu duplici, satis solemnia reputata fuisse: quare ergo eadem non dicemus solemnitate quoque gaudere post distinctionem invectam inter *duplicem maiorem* et *minorem ritum*? Numquid *duplex maius* efficit, ut *duplex minus* minori solemnitate potiatur? Ceterum *duplex minus* satis est solemne, si illud aut cum simplici aut cum semiduplice compares, quamvis minus solemne sit cum superiore ritu, etiam classico, comparatum.

Cum itaque praefata officia certe sub *ritu duplici* concessa sint, cum hic *ritus* certe intelligi debeat, uti ostensum est, non *maior*, sed *minor*, cum eodem sub *ritu* hactenus celebrata fuerint, cum denique idem *ritus* congrua solemnitate fruatur, quae Reliquiae insigni congruit, concludi posse arbitramur, ea recitanda esse, non sub *maiori*, sed tantum sub *duplici minori ritu*.

Resp. 2. Quod pertinet officia Sanctorum, qui in Romano Martyrologio non describuntur, respondendum esse censemus: De iis, in casu, officium iure posse ac debere fieri. En momenta, quibus responsum nostrum probamus. 1. Indultum Gregorii Pp. XIII concedit de Sanctis, etsi alienigenis, quorum habentur in Ecclesiis aut Monasteriis Hispaniarum Reliquiae insignes, officium fieri posse sub duplici *(minori)* ritu, sive prostent, sive non, in Breviario Romano. De conditione autem, ut sint in Martyrologio Rom. descripti, Indultum plane silet, cum eam potuisset summa facilitate saltem innuere. Ergo ab anno 1573 toto iure coeptum fuit dicta festa cum officio liturgico recolere, super relato Indulto adamussim inhaerendo, cum nulla in parte illius iura laesa manserint. Ab anno 1573 ad annum 1691 rem omnino iuxta legem processisse nemo inficias ibit, seu quia Indultum conditionem inscriptionis in Martyrologio non exigebat, seu quia bona saltem fides recitantes in tuto ponebat. Anno autem 1691 prodiit Gen.

Decretum, prohibens festa liturgica Sanctorum in Martyrologio non descriptorum. At *a)* lex ista infirmare non poterat consuetudinem plusquam saecularem, de qua altum silentium servat, et quam proinde, potiusquam aboleri, servari intendit. *b)* Ipsa lex Decreti explicite notat, officia Sanctorum in Martyrologio non descriptorum recitari prohibita, nisi a S. Sede concessa specialiter fuerint, « aut quibus a Sancta Sede non fuerit specialiter concessum »: quod manifeste comprobatur in casu ex superius relato Indulto Gregorii Pp. XIII. *c)* Lex posterior generalis, norma est iuris, derogare legi particulari non intelligit, nisi id explicite declaret. Ergo ad dictam usque aetatem iure merito praefata festa liturgica celebrata fuere, uti celebranda erant, licet in Martyrologio Rom. non descripta. 3. Certum ne est, dictos Sanctos omnes et singulos in Martyrologio non reperiri? Satis dubitandum; quia aliquando dies mutatur, quandoque mutatur qualitas Sancti, et etiam additur saepe qualitas illi non competens: haec in antiquitate facile eveniebant. Ex gr. die 8 Oct. habetur in Martyrologio: « Hispali in Hispania S. Petri Martyris » est ne S. Petrus Miles, de quo in casu, die 25 eiusdem mensis? Duae sunt Christinae, et utraque Virgo et Mart. altera die 13 Mart. altera vero 24 Iulii: esset ne una ex his duabus? Quidquid sit, sive de his, sive de aliis Sanctis, ut in casu, certum est, eos optime esse posse in Martyrologio Rom. inscriptos ex superius observatis: quod illo in tempore nimia cum facilitate accidebat, quin tamen appareat. Cum autem ea officia esse iure celebranda ostensum sit, hac sola de causa, quod in Martyrologio aperte non recenseantur, cessare ab iis non posse arbitramur; et quod certe factum est, iure quoque et rite esse factum censendum est. 4. Denique hic agitur de consuetudine plusquam saeculari, uti iure innuimus, ad eamque, sufficienti, licet minori, vi applicari posse censemus De-

cretum in *Acheruntina*, d. d. 8 Maii 1597 ad 3. In eo quaerebatur, num continuari posset consuetudo recitandi officium S. Canionis patroni, licet in Martyrologio Rom. non descripti ratione consuetudinis sexcentorum annorum. Responsum vero fuit: « Affirmative ».

Ea propter concludimus iterum pro primo Dubio: Officia in casu celebranda esse sub *ritu duplici minori*: pro altero autem, eorumdem celebrationem esse continuandam, proindeque ab re postremis temporibus fuisse ex Appendicibus expuncta. Omnia quidem, salvo meliori iudicio.

APPENDIX

E S. CONGREGATIONE RITUUM

DECRETO

Sul numero delle Cause da trattarsi dai Procuratori della Sacra Congregazione dei Riti.

Pubblicato il decreto sulla divisione di ufficî ed attribuzioni tra gli Avvocati e Procuratori, la S. Congregazione ha creduto opportu-

DECRETUM (1)

Super numero Causarum tractandarum per Procuratores S. R. Congregationis.

Post evulgatum Decretum super divisione munerum et attributionum inter Advocatos et Procuratores, S. R. C. opportunum iudicavit illa

(1) Ut satisfaciamus iis, quorum interest, ponimus hic praesens decretum S. R. C., addita a nobis, ad maiorem commoditatem lectorum, nostrorum versione latina.

no richiamare in vigore quelli sul numero delle cause da trattarsi dai Procuratori, decreti già emanati e dal Ven. Innocenzo XI, 15 Ottobre 1678, e dalla S. Congregazione, 26 Novembre 1678, 19 Aprile 1687, 27 Luglio 1720, 10 Dicembre 1721, adattandoli ai tempi.

1. Pertanto, la S. Congregazione prescrive un numero alle cause da trattarsi dai Procuratori della S. Congregazione dei Riti.

2. Il numero delle cause in corso da trattarsi dai Procuratori non potrà superare quello di *venti*.

Non sono comprese in questo numero quelle che riguardano Officî, Messe e Patronati.

Parimenti non sono comprese quelle che o per ordine della S. Congregazione, o per fatto dei Postulatori siano sospese.

3. I Postulatori delle cause dovranno al principio di ciascun anno esibire a Mons. Promotore della Fede la no-

super numero causarum per Procuratores tractandarum in vim revocare Decreta, quae iam evulgaverant Ven. Innocentius Pp. XI die 15 Octobris 1678, et S. Congregatio die 26 Novembris 1678, 19 Aprilis 1687, 27 Iulii 1720, ac 10 Decembris 1721, eaque temporum adiunctis aptare.

1. Eapropter S. Congregatio causis per Procuratores eiusdem S. Congregationis tractandis numerum determinat.

2. Vertentium causarum numerus per Procuratores tractandarum vicesimum excedere non poterit.

Hoc in numero, quae Officia spectant, Missas et Patronatus, non comprehenduntur.

Item in eo non comprehenduntur Causae, quae ex voluntate S. R. Congregationis, vel Postulatorum facto abruptae fuerint.

3. Postulatores causarum initio uniuscuiusque anni R. P. D. Promotori Fidei earumdem causarum elen-

ta delle cause coi nomi dei rispettivi Procuratori.

4. I Procuratori, i quali in qualunque modo volessero eludere il presente decreto, saranno puniti colla sospensione dall'ufficio per un anno e con pene anche maggiori in caso di recidiva, fino alla completa espulsione dall'ufficio.

Le suddette disposizioni con l'analoga sanzione furono approvate dagli E.mi e R.mi Signori Cardinali della S. Congregazione dei Riti nell'ordinaria adunanza tenuta nel Palazzo Apostolico Vaticano il 14 Settembre 1897.

E fattasi dal sottoscritto Segretario relazione alla Santità di N. S. Leone Papa XIII nell'udienza del 16 dello stesso mese di Settembre, la Santità Sua si degnò confermare le precedenti disposizioni, ordinandone la più esatta esecuzione.

Roma, dalla Segreteria della S. Congregazione dei Riti 12 Novembre 1897.

Camillo Card. Mazzella
Prefetto della S. C. dei Riti.
Loco ✠ Sigilli
Diomede Panici, *Segretario.*

chum exhibebunt, expresso relativorum Procuratorum nomine.

4. Procuratores, qui praesens Decretum quomodocumque eludere tentaverint, punientur ad annum suspensione ab officio, poenisque etiam severioribus, si recidivi, ad absolutam usque expulsionem ab officio.

Praefatae dispositiones earumque sanctio ab Em.is ac Rm.is Patribus S. R. Congregationi praepositis approbata fuerunt in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum habitis die 14 Septembris 1897.

Harum dispositionum per infrascriptum Secretarium relatione facta D. N. Leoni Pontifici XIII die 16 eiusdem mensis, Sanctitas Sua illas confirmare dignata est, iussitque ut perfecte implerentur.

Romae, e Secretaria S. R. Congregationis die 12 Novembris 1897.

Camillus Card. Mazzella
Sacr. Rit. Congr. Praef.
Loco ✠ Sigilli
Diomedes Panici, *a Secretis.*

E S. R. ET UNIV. INQUISITIONE

I.

Beatissime Pater,

Episcopus N. N. ad pedes S. V. provolutus, humiliter exponit quod in ordinatione Sacerdotis B. ex mera oblivione, omissa fuit impositio manuum ex parte Sacerdotum adsistentium; insuper non recordatur Episcopus (neque alii adstantes recordantur) utrum tenuerit manus elevatas super caput ordinandi, durante secunda impositione quando recitabatur oratio *Oremus, fratres carissimi* etc., quapropter a supremo oraculo petit quid nunc agere debeat.

Feria IV die 17 Martii 1897.

In Congregatione Gen. S. R. et U. Inquisitionis habita ab EE. et RR. DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, proposito suprascripto Dubio, iidem EE. ac RR. DD.ni responderi mandarunt: *Sacerdos B. ordinetur secreto et sub conditione, quacumque die, etiam feriata, obtenta a SS.mo facultate.*

Sequenti vero fer. V die 18 eiusdem mensis et anni, in solita Audientia R. P. D. Adsessori impertita, facta de his omnibus relatione SS. D. N. Leoni PP. XIII, idem SS. Dominus resolutionem E.morum et R.morum Patrum in omnibus adprobavit, facultatem concedendo.

I. Can. Mancini., *S. R. et U. Inq. Notarius.*

II.

Beatissime Pater.

Episcopus Mysurien. ad pedes S. V. provolutus, humiliter exponit se interdum ancipitem haerere in usu facultatum cu-

mulandi (ut aiunt), quibus in tribuendis dispensationibus matrimonialibus pollet. Hinc enixe petit insequentium dubiorum resolutionem:

I. Utrum concurrente aliquo impedimento dirimente secreto, seu fori interni, cum alio impedimento item dirimente, sed publico, necessaria sit ad dispensationem specialis cumulandi facultas.

II. Utrum concurrentibus duobus impedimentis, quorum unum sit dirimens et alterum impediens tantum, eo excepto quod *mixtae religionis* dicunt, pariter necesse sit ad dispensationem specialis cumulandi facultas.

Fer. IV, 18 Augusti 1897.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis habita ab E.mis ac R.mis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis dubiis, praehabitoque RR. DD. Consultorum voto, iidem EE.mi ac RR.mi. DD.ni responderi mandarunt:

Ad I. Negative; et detur Decretum diei 31 Martii 1872 *in Coimbaturen.*

Ad II. Affirmative quoad impedimenta impedientia, quorum dispensatio reservatur S. Sedi, ea nempe quae oriuntur ex mixta religione ut aiunt, atque ex sponsalibus et ex voto simplici perpetuae castitatis; secus in reliquis, circa quae Episcopus uti poterit iure suo.

Feria vero VI, die 20 eiusdem mensis et anni, in solita Audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, facta de his omnibus relatione SS. D. N. Leoni PP. XIII, idem SS.mus Dominus resolutionem EE. ac RR. Patrum in omnibus adprobavit.

Decretum autem die 31 Martii 1872 datum occasione dubii a R. P. D. Vicario Apostolico Coimbaturen. propositi, prout constat ex actis S. Congr. de Propag. Fide, sic se habet: « SS.mus « Dominus declaravit generatim prohibitionem concedendi abs- « que speciali facultate dispensationes, quando in una eademque « persona concurrunt impedimenta matrimonialia, non extendi

« ad eos casus, in quibus cum impedimento natura sua publico « aliud occurrit impedimentum occultum, seu fori interni ».

I. Can. Mancini, *S. R. et U. Inq. Notarius.*

III.

Feria IV, 24 Novembris 1897.

In Cong. Gen. S. Rom. et Univ. Inquis. habita ab E.mis ac R.mis DD.Card. in rebus fidei et morum Gen. Inquisitoribus, iidem E.mi Patres, rerum temporumque adiunctis mature perpensis, decernendum censuerunt: Supplicandum SS.mo, ut declarare seu statuere dignetur facultates omnes speciales habitualiter a S. Sede Episcopis aliorumque locorum Ordinariis concessas non suspendi vel desinere ob eorum mortem vel a munere cessationem, sed ad successores Ordinarios transire ad formam et in terminis decreti a Sup. hac Cong. editi die 20 Februarii 1888 quoad dispensationes matrimoniales.

Insequenti vero feria VI, die 26 Novembris 1897, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, facta de his omnibus SS.mo D. N. Leoni Div. Prov. Pp. XIII relatione, Sanctitas Sua E.morum Patrum resolutionem adprobavit, atque ita perpetuis futuris temporibus servandum mandavit, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Ios. Can. Mancini, *S. R. et U. I. Notarius.*

E S. C. EPISCOPORUM ET REGULARIUM

I. Il favore accordato alle monache di ricorrere ad un confessore straordinario *quoties ut propriae conscientiae consulant ad id adigantur,* è così illimitato e incondizionato che esse se ne possano servire constantemente senza ricorrere mai al con-

fessore ordinario, e senza poter essere sindacate neppure dal Vescovo su questo punto, e da esso in qualche modo impedite se fossero guidate da ragioni biasimevoli e insulse?

2. I confessori aggiunti hanno alcuni doveri di coscienza di rifiutarsi ad ascoltare le confessioni delle Suore, quando riconoscono che non esiste un plausibile motivo che le astringa di ricorrere ad essi?

3. Se parecchie Suore (e peggio ancora se la maggiore parte di esse) ricorressero costantemente a qualcuno dei confessori aggiunti, il Vescovo deve tacere o intervenire con qualche provvedimento per tutelare la massima sancita nella bolla *Pastoralis*: « Generaliter statutum esse dignoscitur, ut pro singulis monialium monasteriis unus dumtaxat confessarius deputetur » ?

4. E, posto che debba intervenire, qual provvedimento potrà legalmente adottare?

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad IV. Moneat Ordinarius Moniales et Sorores, de quibus agitur, dispositionem Articuli IV. Decreti *Quemadmodum* exceptionem tantum legi communi constituere, pro casibus dumtaxat verae et absolutae necessitatis, quoties ad id adigantur, firmo remanente quod a S. Concilio Tridentino et a Constitutione s. m. Benedicti XIV. incipien. *Pastoralis curae*, praescriptum habetur.

Die 1 Februarii 1892.

E SACRA CONGREGATIONE INDICIS

A Sacra Congregatione Indulgentiarum, sub die 13 Iulii 1897 huic S. Indicis Congregationi propositum fuit sequens Dubium:

Utrum in Decreto N. 17 Decretorum Generalium *De prohibitione et censura librorum*, nuper a SS.mo D.N. Leone PP. XIII.

editorum, verba haec *non publicentur absque competentis auctoritatis licentia*, ita sint intelligenda, ut in posterum Indulgentiarum libri, libelli, folia etc. omnes ad solos locorum Ordinarios pro impetranda licentia sint referendi? An vero subiiciendi sint censurae aut Sacrae Congregationis Indulgentiarum, aut Ordinarii loci secundum normas ante novam Constitutionem *Officiorum ac munerum* stabilitas?

Sacra Indicis Congregatio, omnibus mature perpensis respondit:

Ad 1am Partem *Negative*.

Ad 2am Partem *Affirmative*.

Datum Romae ex Secretaria S. Indicis Cong. die 7a Augusti 1897.

A. Card. STEINHUBER, *Praef.*

Fr. M. Cicognani O. P. *Secret.*

E SACRA POENITENTIARIA

Beatissime Pater,

Sub die 30 martii 1897, Ioannes B... et Rosalia J..., N... dioecesi, a Dataria Apostolica rescriptum dispensationis reportaverunt *supra secundo in linea aequali ex uno, ac duplici quarto ex tertio* stipitibus provenien. consanguinitatis gradibus.

Ita ferebat rescriptum, dum revera dispensatio postulata fuerat super *secundo ex uno, quarto ex altero ac demum item quarto ex tertio* stipitibus provenien. consanguinitatis gradibus.

Iamvero cum tempus urgeret et error rescripti circa quid accidentale versaretur, Ordinarius N... rescriptum executus est, sponsique in facie Ecclesiae rite copulati sunt. Hinc quaerit:

1° Utrum rescriptum valide et licite executus fuerit?

Die 1 februarii 1895, cum quidam Ordinarius in libello supplici se originis Ordinarium affirmaverit, dum revera Ordinarius

domicilii esset, S. Poenitentiaria sciscitanti respondit dispensationem valide et licite fuisse datam, verum errorem corrigendum esse. Hinc :

2° Utrum ipse Ordinarius N.... debeat et in casu actuali errorem rescripti corrigere ?

Et Deus...

Sacra Poenitentiaria Ordinario N... super praemissis respondet : *Facta correctione, acquiescat.*

Datum Romae ex Sacra Poenitentiaria die 2 iunii 1897.

B. Pompili, *S. P. Corrector.*

V. Can.cus Lucchetti, *S. P. Secrius.*

MONITUM

Ut petitionibus plurimorum eamus obviam, aliarumque impediendarum causa, notum facimus, quamprimum, et probabilius Mense Februario, sub fine saltem , vel initio Martii , Volumen primum *Novae Collectionis authentivae Decretorum S. R. Congregationis* vulgatum iri, quod etiam apud nostram Administrationem venumdabitur.

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P.

S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta Patriarch. Antioch. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

Romae, Typis Fratrum Amoroso, Piazza della Torretta Borghese N. 22-25.